

Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



JOHANNIS MESSENI
S C O N D I A
ILLUSTRATA,

Seu

CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ

Potiffimùm;

Deindè Regnorum etiam adjacentium,

in quantum illius conducit cognitioni;

tam Ecclesiasticis quàm Politicis,

ab anno Christi MCL. ad MCCCXX.

gestis.

TOMUS II.



STOCKHOLMIÆ,


Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCC.

JOHANNIS MESSERII
CONDITA
ILLUSTRATA

CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIAE
Pocillimum;

Deinde Regnorum etiam adjacentium
in quantum illius conducit cognitioni;
tam Ecclesiasticis quam Politicis,
ab anno Christi MCL. ad MCCXX.
gestis.

TOMUS II.



STOCKHOLMIAE,

Typis OLAVI ENKELI, Anno Christi M. DCC.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
MONARCHÆ,
D. GUSTAVO ADOLPHO,
Sueciæ, Gothiæ & Vandalia Regi, Magno
Finlandiæ Principi, Esthoniæ, Careliæque Duci,
& Ingermanniæ Domino;

Salutem & Felicitatem!



Uantis sit obnoxia discrimini-
bis conditio regalis, gloriosissime REX, veterum qui-
dam Principum non imprudenter animadvertit;
Nam cum ipsi thronum ascensuro paludamentum tra-
deretur, in hujusmodi cum gemitu verba prorupit: O nobilem magis
quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis
periculis, sollicitudinibus ac miseriis sit refertus, nè humi quidem ja-
centem, tollere dignetur! Quod ipsum, si non alia confirmaret historia,
profectò sequens sufficienter illud, & luculenter demonstraret; Quo-
niam in ea per annos transcurrente CLXX. Reges describuntur XXXIV.
Sueciæ quidem X. & totidem Daniæ, sed Norvegiæ XIV. Quorum
plerique sceptrum laboriosè ac periculosè obtinuerunt; laboriosius, pericu-
losiusque defenderunt; ast periculosissimè illud amiserunt; nimirum ab
emulis palàm, vel clam trucidati.

Quod cum non ignoret MAJESTAS VESTRA, regia periculum
dignitatis, prudenter hactenus suis invigilavit rebus, idemque ut im-
posterum commodius faciat, aliorum infortunio reddita cautior, præ-
sentem Chronologia Tomum Scondicæ, qui secundus est in ordine reliquo-
rum, MAJESTATI VESTRÆ, qua par est, subjectione ac devotio-
ne nunc offero; impensè obsecrans, ut consuetâ ipsum clementiâ susci-
piat, & necessariâ pervolvat diligentiam, indeque consulat suæ incolumi-
tati, quam diutissimam, fortunatissimamque vigere desidero, & pro
ea Deum impiger sollicito, cujus etiam tutelæ MAJESTATEM VE-
STRAM commendatam volo. Cajanoburgi, XV Junii die, Anno
MDCXXI.

S^æ. R^æ. MAJESTATIS VESTRÆ

Ad omnia fidelia paratissimus
obsequia Servitor,

JOHANNES MESSENIUS.

PROGRAMMA

FRustraris tuâ opinione, Lector,
 Si me codice teris insequenti
 Comoedi potius subire munus,
 Aut certè Historici facetioris,
 Quàm spectacula tetrici tragoedi
 Hoc inducere moesta per theatrum:
 Tanto sanguine Troja non madebat,
 Quanto Scandia seculum per unum,
 Bis septem quoque lustra; prò scelus, quot
 Reges intereà cecidit ensis
 Norvegi; panoplia quotque Dani,
 Et Sueci! scelus haud tulère inultum:
 A Regum cohibeto, Scondiota,
 Enses interitu; vel ipse ense
 Occumbes; gladio peribit, utens
 Perverse gladio, nec ange Christos.

CHRO-

S. R. MAJESTATIS VESTRAE

Ad omnia debita paratum
 obsequia servitor
 JOHANNES MESSERUS



CHRONOLOGIÆ SCANDIANÆ
TOMUS SECUNDUS,
Ab anno Christi MCL. ad MCCCXX.
procedens.

ANno MCL. Sueones Regi Suerchero, ejusque filio renunciantes, sui axioma regni, spectatæ probitatis, & antiquæ nobilitatis principi, Erico Jedvardio, quod mortuo Jaroslavo, Ulademiriensium in Russia duce, hujus viduam Christinam, Ingonis regis filiam, duxisset conjugem, Canutumque ex illa filium sustulisset, concorditer assignarunt. Suercherus verò non tantum de terrestribus amissione regni sollicitus, quantum de comparatione cœlestis, se totum Dei mancipat obsequio, & missos à S. Bernhardo in Gothiam monachos, arctiora vitæ statuta secum adferentes, Alvastram destinat.

Hinc pauco post tempore, prima illorum colonia ad Interoe, novum hujus ordinis diversorium, traducta; & inde, propter loci angustiam, ad Longenæs postea; tandemque, ob causam eandem, Varnhemium, à nobili quadam heroina donatum, commigravit. Sed Eschillus, Daniæ primas, tales sibi pergratos hospites, in Herevadense Scanorum, & Efrumense Sielandorum, solenniter introducit monasteria.

Anno MCLI. S. Kilianus, Viborgensium in Dania Episcopus, die XXVII Septembris, mundanæ valedixit malitiæ, nunc cœlesti adscriptus militiæ. Verum Canutus, throni competitor Danici, militiam adhuc diligens mundanam, regi bellum Suenoni movit, & ab illo tertium profligatus, à vitrico postulatam subsidia, in Sueciam divertit, indeque ad regem Poloniæ avunculum; Henricum, Saxoniam ducem; ac demum ad Præsulem Bremensium, iter convertit. Quorum Canutus ope, ac præsertim Episcopi Bremensis, ad Patriarchatum Scandiae adhuc aspirantis, adjutus, in Daniam regreditur, & Suenoni congreditur pari successu.

Atqui Sueones & Norvegi, non Bremensium modò, sed etiam Lundensium machinatione patrum, hæctenus proprios non adepti Archipræsules, unanimi nunc deliberatione, per legatos apud Romanum instant Pontificem denuò, obsecrantque, ne tam illustria Scandiae regna, diutius fraudaret summorum antifitum dignitate. Ast priusquam ab urbe responsum adveniret, Suercherus, Rex Gothorum, à proprio satellite, pe-

cunia Magni Scateleri, regno inhiantis, seducto, ipsâ natalis Dominici nocte, fuit mactatus, & in ecclesia tumultus Alvastræ, regias filio habenas Carolo transmiserat.

Anno MCLII. Proceres Suecorum & Gothorum, quam necessaria regni utriusque esset conjunctio, non ignorantes, ita Carolum & Ericum inter, post Suercheri transegerunt exequias, quod hic primum unitis dominaturus regnis, quoad viveret, & ille deinceps, ac demum ex utriusque progenie alternatim.

Sed hæc principum in republica vicissitudo, centum annis continuata, non minus ipsis, quam subditis fuit luctuosa.

Hujus anni primordio, Canutus matrem consolaturus, Sueciam ingreditur, & hinc abiens, Fridericum invisit Cæsarem, quo Mersburgi sequestro, Suenoni illuc vocato, reconciliatur. Interea Johannes Suercheri filius, Canuti vindicare despectum conatur, Scaniam invadens, & ferro, flammaque pervadens, ac inde victor remeans, Caroli, Suenonis partibus adhærentis, ac ibi dominantis, uxorem, sororemque, secum adductas, ad stuprum illas per vices evocavit insolenter.

Eugenius III. justis Sueonum & Noricorum annuit tandem petitionibus, & Nicolavum Angliæ Cardinalem, per mare in Norvegiam ablegat; Qui regno diligenter perlustrato, Nidrosiæ cathedram suscitatur Archiepiscopalem, & Johannem Norvegiæ potissimum jubet Antistitem, à Lundensi prorsus absolutum obedientia, ipsi subjiciens X Episcopos, Aslogensem videlicet, Bergensem, Stavangrensem, Hammarensem, Scalholtnensem, Holensem, Gardensem, Ferogensem, & Orchadensem. His autem in Norvegia consummatis, in Gothiam festinavit, & Lincopiæ concilium celebravit, ut Suecos, Gothosque de loco, personaque, tanto idoneis honori, discordes, concordaret. Hi siquidem Lincopiæ vel Scaræ, illi tantam Upsaliæ dignitatem potiori jure, deferendam contenderunt, nec convenerunt. Quamobrem legatus, Nicolaus Albanensis, nullam concordie spem, pro tempore videns affulgere, illud seposuit negotium, & aliud proposuit, severa promulgando edicta in presbyteros, uxoribus vel concubinis indulgentes, & his, aliisque Schismaticorum dogmatibus, adhærentes, ac demum Henrico, quem ex Anglia secum adduxisset, Ecclesiâ Upsalensi commendatâ, sub brumæ initium sævientis, apprimè honoratus & donatus, hinc Daniam versus properavit. Qui hospitio illic liberalissimo, per Eschillum Lundia Præfulem susceptus, ac magnopere rogatus, ut pallium Suetico Archipræsuli destinatum, eâ deponeret ibi conditione, ut reversus in urbem, Lundensibus impetraret Archimystis privilegium, hujusmodi impostero insignia, ex Latio identidem impetrata, inaugurationemque novis Sueoniæ Archiepiscopis, conferendi, suffragatur petitioni.

Gardensis, in Gronlandia Episcopatus, primum nactus initium; Protopræsulem Ericum, & Archipræsulem Norvegiæ Johannem.

Anno MCLIII. Sueno Danorum Rex, indubiam de Gothis victoriam sibi promittens, ob nonnullam adhuc de rege & Archipræsule gliscentem inter ipsos discordiam, bello statuit scelus principis Johannis mulctare, & provincias Gothiæ, feuda, virginesque, suos inter commilitones dividit, nequicquam Cardinale Nicolao illam dissuadente profectionem, & Carolo rege fratrum excusante per litteras facinus. Ipsemet verò Johannes, nullo hostis metu percussus, adventanti decrevit occurrere. Ideoque innumeram populi cogit sub signa multitudinem, quæ in ipsum, velut belli autorem, inprimis arma convertens, illum occidit, Lincopiæ protinus humatum; deinde Suenoni animosè occurrit, illumque quantocyus Daniam repetere compellit.

Hoc etiam tempore princeps Haquinus, Norvegiâ extorris, eorundem auxilio Gothorum, Vichiam Norvegiæ impugnat, & obvium cædit Gregorium Dagsonium, regis Ingonis polemarcham, Januario mense; illaque ufurus victoriâ, properat Aslogiam, ubi pariter Ingonem dedit ipsum internecioni, qui anno regni XX. cum pluribus illic tumulto fuit conditus. Sed optimatum Noricorum primarius, & gener Sivardî regis, Erlingus, filii procuratâ Magni apud nonnullos incolarum electione, protinus contra victorem insurgens Haquinum, illum auxilio Danorum primum fugavit, ac vitâ deinde, regnoque privavit. Nec tamen adversarii victas porrexerunt dexteras, Sivardum Haquini fratrem, sibi regem designantes.

Interea temporis, Nicolaus Cardinalis Romam perveniens, mortuum offendit Eugenium, & Anastasio, illius successori, legationis exponit successum. Qui proinde XXVIII Novembris die, missis ad Norvegos & Suecos literis, quæ legatus apud illos condidisset statuta, roboravit. Niclotus autem Vandalix princeps, Amiliam, Sueciæ Reginam hoc anno conjugem scribitur habuisse; Sed cujusnam illa prius regis fuerit Suetici consors, historiæ non suggerunt, opinor tamen Ragvaldi fuisse.

Anno MCLIV. Valdemarus, S. Canuti ducis filius posthumus, defertâ regis Suenonis amicitia, novam cum Canuto, paterni cæforis nato, contrahit; & illius prætereâ sororem, sibi conjugem accipit, Sophiam, Ulodemiro Rutheno & Suentoslava progenitam parentibus. Quæ de causa Sueno suis metuit rebus, velut etiam quod Sconi rebelles essent, & Vandali Sielandiam vastassent, ad Henricum Saxonix ducem ideò paulisper secessit, & Canutus Valdemarusque regios sibi honores actutum vendicarunt. In Norvegia Erlingus captum regem Sivardum securi percussit, & Haraldum illius fratrem laqueo sustulit, ad necem sollicitè indagans omnem regum progeniem, ut illâ penitus sublatâ, sua Norvegiæ securius deinceps dominetur. Quocirca quartus horum principum frater Suerro, his à matre subductus insidiis, in Feroxiâ pro fabri filio educatur. Sed in Sueonia S. Ericus quietum regni nactus dominium, Finnones Christo & suo infestos imperio, decrevit utrique subjugare. Itaque cum navali ad eos delatus exercitu, gentem Deo & sibi victas tradere manus coëgit; indeque remeans, Finnonum neophytorum informationem, Henrico Upsalensium episcopo ibi relicto, commendavit.

Anno MCLV. S. Antistes Henricus ex officio dum provinciam oberrat, in quendam clementer animadvertit homicidam, Lalle nominatum, genere nobilem; qui neophytus disciplinæ impatiens ecclesiasticæ, episcopum furiosus invadit, & ipsum, ausu nefario, XIX Januarii die trucidavit, Noufy tumultum, miraculisque illustratum. Illi autem in cathedra successit Upsalensi, Copmannus; sed Finlandia proprium deinceps consequitur præfulem, interim Upsalensium obtemperans antistiti. In Norvegia porrò adversarii Erlingi, haud ignorantes, Carolum Gothix principem, regiâ Noricorum profapiâ oriundum, ipsi sceptrum patriæ obtulerunt; Quorum votis aliquandiu pollicetur se responsurum, donec seditione impeditus domesticâ, demum tantos recusaret honores.

Anno MCLVI. Nicolaus Anglicus, secundum Anastasii obitum, Romanâ donatus infulâ, & Hadrianus IV appellatus, ab Eschilloque Danorum Archipræsule, promissi admonitus, statuit ut futuri apud Sueones Archiepiscopi, ab Upsalensi designarentur presbyterio, & primam Lundix confirmationem, sed alteram Romæ, cum pallio, impetrarent, quod, inauguratione Lundix peractâ, candidato Lundensis præful

effet impositurus, & ab illo fidelitatis juramentum, erga sedem utramque suscepturus. Quamobrem licet insuper Alexander, Lucius, Clemens, Celestinus, & Innocentius, Adriani successores proximi, hanc Lundensibus prærogativam roboraverint, atque Sueonibus, sub interminatione damnationis æternæ, ut ipsis obedirent, mandaverint; Tamen, haud citra multiplices obtemperarunt aliquandiu corrixationes, crebrasque Lundensibus identidem actiones, hujus nomine jurisdictionis intenterunt, velut operis progressus attestabitur.

Verum amabò, quid hujusmodi Lundenses ambitione aliud, quam manum inanis plenam splendoris? sicut prudenter Crantius noster asseverat, & titulum sine vitulo, ut alius quidam, non minus protulit appositè, obtinuerunt? Nihilominus tamen isto Lundenses Primatis vocabulo, tantopere postmodum se titillarunt, ut sermone vernaculo non erubuerint se etiam Sueciæ principes hac de causâ nuncupare; Quamvis multum sit differentia inter Primatem & Principem. Nec vero dissimilis quorundam opinio, asserentium, Lundenses Archimystas, Patriarchatus in Scandia pariter affectasse dignitatem. Ast tantæ expertis ambitionis primus Norvegiæ Archipræful, Johannes, contentusque, quod patriæ esset Primas, & sedis Legatus Apostolicæ, modò fatis abripitur, ac illi substitutus Ostenus, Synodum Bergæ provinciam celebravit, in quâ jus patriæ canonicum magnopere adauxerat, idque prout Laici contendebant, cum legum injuria politicarum; De qua proinde fuit Erlingus protestatus, & tamen Archiepiscopo reconciliatus, accepta promissione, de promovendo ad thronum suo filio, ac protinus coronando.

Hinc itaque Erlingus plurimum exhilaratus, solennia inaugurationis apparat, & diadema Norvegiæ à Romano impetrat Pontifice, illoque Bergæ, Magnus ipsius filius, regum primus Noricorum, per Stephanum, Papæ legatum, ingenti redimitur festivitate.

Quando extorris Danorum rex, Sueno, Henrici Saxonum principis auxilio, in Daniam reductus, nonnullam cum Valdemaro & Canuto regni portionem nanciscitur, utrique nihilominus molitur interitum.

Anno MCLVII. Præfatos Sueno æmulos perempturus, ferale illos Roschildiæ convivio excipit, in quo Canutum per subornatos trucidavit sicarios, & Valdemarum, inde in Jutiam fugam dilapsum, infestis signis infecutus, ab illo ad sui defensionem converso XXII. Septembris, vitâ simul ac regno spoliatur. Ita præpotens Daniæ factus monarcha Valdemarus, Magno Norvegiæ regi suo consanguineo, non minorem fortunæ successum gratulatur, illumque hortatur ad tradendam sibi Vichiam, Danis oblata nuper subsidia promissam, atque repulsam passus, bellum Norvegiæ molitur. In quo, aliisque non paucis contra Vandalos gestis, prudentissimâ usus fuit operâ, illustris viri Absolonis, quem Roschildia Præsulem modò consequitur.

Anno MCLVIII. Valdemarus, gratum Deo animum, pro sua de funesto Roschildiæ symposio, liberatione præbiturus, nobile Vitescholensium fabricat cœnobium. Deinde grandibus succinctus copiis, Norvegiam impugnat, illique aditum porro incolæ obstruunt, & ex latebris acriter impetunt, atque his Danus angustiis constitutus, inaudit simul Erlingum, cum immensis advolare cohortibus, & propterea in patriam remeat; quem Erlingus infecutus, Jutiam ferro flammâque populatur.

Anno MCLIX. Ut Erlingus internis & externis impetitus simul armis, succumberet, illos Valdemarus Norvegiæ proceres, qui Carolo Gothorum principi hætenus frustra adhæserant, in ipsum denuò commovet, ad Danicam callide pertractos militiam. Ideoque magis sibi ab hostibus metu-

metuendum considerans Erlingus, oportuna pacis adminicula circumspexit. Interea Lubecum incendio vastatum, ab Henrico Saxonum Duce, restauratur, & præclaris donatur privilegiis. Quo tempore flagitantibus simul Visbyensibus, Gothlandiæ mercatoribus, quasdam concessit immunitates, in Vandalia negotiandi emporiis; Sed prius multò Sueciæ, Gothiæque rex, jura Visbygio municipalia digessit.

Anno MCLX. ERICUS Sueonum rex, sub diuturna regni sui pace, commodis patriæ sedulus invigilat; non paucas fundat ecclesias; ipsas proventibus ornat; Rempublicam quoque insigniter ordinat; æquissimas condit leges; impias abrogat; perverfas Sueonum consuetudines radicitus evelit; inque flagitiosos, sine respectu personarum, animadvertit.

Quamobrem nonnulli magnates regni, vitiis magis, quam virtutibus, addicti, graviter Erico indignantes, Magnum, Henrici Scateleri apud Danos filium, & nepotem ex filia Ragualdi, quondam Suetici regis, ad sceptrum Sueciæ capeffendum, occultè invitarunt. Nec Henricus diu moratus, exercitum sibi comparat, & veris initio Sueciam versus cum filio navigat, illamque ingressus, factiosorum copias, suis adjungit.

Quando primum Ericus de hostium factus adventu certior, animum non despondet; sed cum exiguis in momento propemodum turmis militum collectis, potentissimos aggressus est adversarios, in prato Upsalensium, & postquam diu solus, contra X illorum primarios belligerasset, tandem superatur, & captus XVIII. Maji, festo nimirum redeuntis in cælum Christi, decollatur.

Integerrimi vero regis innocentiam, & sanctimoniam, non obscuris Deus prodidit argumentis, tempore, locoque supplicii, & sepulturæ, quam Ericus primum in veteri, deinde novâ consequitur Upsalia. Interim porro victores, regiâ direptâ suppellectile, Magno insignia regni conferunt, quibus non multo diutius fuerat usus, quam protoplastus Adam, paradiso. Etenim Sueones, infando charissimi regis interitu cognito, quantocyus arma corripiunt, & similiter Gothi, à Carolo persuasi, accurrunt infesti, ac Carolus gentis utriusque ductor designatus, hostem animosus invadit, tantamque illius stragem edidit, ut vix cladis nuncius in Daniam rediret. Deo autem potissimo, tantæ victoriæ auctori, aliquam relaturi Sueones gratiam, amplissimas ab hostibus captas manubias, ecclesiæ assignant ædificationi, loco pugnae deinceps fundatæ prope Upsaliam, & ab hostium illic fusorum patria, nuncupatæ, Danemarchia. Verum Carolo, ex pacto cum Erico quondam inito, viduum utriusque regni sceptrum capeffit, quod Sueones Canuto, S. Erici filio, libentius contulissent.

Erlingus isto Sueonum damno admonitus, & quorundam Noricorum cum Danis conspirationes, ratus non minus suo filio, quam nuper Erico Sueciæ regi gloriosissimo, fore perniciosas, in pacis negotio, Christinam uxorem expedit in Daniam; Quæ Valdemaro cognato haud difficulter persuasit, ut Vichiam Erlingo marito, jure concederet beneficiario, nihilominus subjectam Norvegiæ, ac firmissimæ utrinque paci subscriberet.

Ita Danus Norvego reconciliatus, multo impugnavit tempore Saxones, Vandalos & Rugianos, de quibus plerumque insignes, consilio utens Episcopi Absolonis, viri bellacissimi, triumphos reportavit. Tum etiam temporis, ut securior domi ab hostium incursionibus, foris belligeraret, vallum Danos Saxonesque inter limitaneum, firmissimis insuper mœnibus obfirmavit. Nec omninò Valdemarus liber fuit à domestico tumultu, qui ipsum & Eschillum, regni Archipræsulem inter his de causis gliscebatur; Quippe cum schisma modo in ecclesia esset Romanâ, propter binos in ea pontifices, Alexandrum & Octavianum, Valdemarus hujus, & Eschil-

lus illius, favebant partibus, præfulque Alexandri subveritus infortunium, suos ad cœnobium Galliæ Clarevallensium transmisit thesauros, locum velut tutiorem. Sed Alexandri mox animatus successu, depositum curat referendum, quod incuriâ thesaurarii, luxuriâque, â latronibus in itinere diripitur universon.

Infortunium verò suum Antistes coram rege lamentatur, & quod ipsam Valdemarum ideo subsannaret, vehementer regi Eschillus indignatur, fraudeque illius thesaurum fuisse direptum arbitratus, vindictam machinatur. Ex opibus autem residuis nunc fundavit Becchescogense, Tumerupense, atque Assense, ordinis Cistertiensis, monasteria. Denique cum regias subvereretur insidias, profugit in Sueciam, & intelligens Valdemarum, suam occupasse violenter arcem Eschilsoegensem, in Daniam rediit, & gratiam cum adversario. Intentus præterea Eschillus, B. Claudii Arhusiensis apotheosi, procuravit, ut expedito Romam libello miraculorum, ille ab Alexandro III. Divis adscriberetur, quando Pontifex, Tychoni Danorum legato, frustum de cruce largitur Dominica.

Anno MCLXI. Nobilissimus Danicorum procerum Ascerus, Schialmonis Albi filius, in suo apud Sielandos hæredio, Sorby, monachis fundavit Cistertiensibus illustre cœnobium, & prædiis illud non paucis dotavit, sicut etiam fratres Ebbo & Tycho. His autem vita functis, Absolon, filius Asceri, & Roschildensium antistes, Esberni fratris ope plurimum adjutus, idem magnificè consummavit ædificium, hucque XXXVIII fundos legavit, mandans ex voluntate paterna, ut quod reliquum esset tempus cœnobitis ab officio Divino, illud patriæ impenderent historiæ colligendæ ac conscribendæ.

Simili ductus zelo, clarissimus Sueonum rex Carolus, Saba Uplandiæ, & Varnhem Vestrogothiæ, ejusdem ordinis fabricavit asceteria; Alvastrense verò, Gudhemense, atque Vretense, in utraque Gothia elegantioribus, & amplioribus consummavit ædificiis, cœnobis.

Anno MCLXII. Sueci, Gothique, nunc tandem concordēs redditi de loco, & persona, nimirum Upsalia, Stephanoque, Alvastrensis contubernii alumno, honore dignis archiepiscopali, expeditis Romam legatis, Alexandri III flagitant confirmationem, ecclesiæ translationem Upsalensis, ceu convenienti minus loco fundatæ, ac B. Helenæ canonizationem. Sed Daniæ Archipræsul, Eschillus, habitâ interim synodo, mensè Julio, jus Scaniæ canonicum, XXV compræhensum articulis, compilavit.

Anno MCLXIII. Valdemarum, Danorum rex, â Friderico Cæfare, ad conventum imperii Vefontinum honorificè invitatus, Absalone comite, illuc proficiscitur; Ubi Hartvicus, Bremensium Episcopus, in confessu pseudopontificis Victoris, Cæsaris & ordinum Imperialium, Danum acriter compellavit, de Scandica iterum ecclesia cathedræ Bremensi subjienda. Itaque Valdemarum, huic se actioni subducturus, simulat venationem, ac tali remeat domum occasione. Suecus illius cognoscens reditum, comite Gutormo in Daniam ablegato, conjugem postulat Sophiam, Magno Cæco, Noricorum rege, atque Christinâ Valdemari genitam sorore, impetratque protinus sibi adductam. Hæc deinceps Carolo fuit enixa Suercherum III Sueciæ regem, & Sophiam, Henrico Burevino nuptam principi, & alteram Vretensi traditam contubernio, filiam. Atqui Valdemaro genuit nunc uxor Canutum, cujus adfuit lustrationi Gutormus, Caroli legatus.

Nec interea Carolus sui oblitus propositi, de cultu Dei propagando, mise-

miserat nuper suos in Sueviam oratores, qui modò indè reversi, virgines secum S. Bernardi sequentes instituta, Vretam perduxerant, illæque novam vivendi normam, ibi docuerant. Quam postea Gudhemenses, Rifebergenses, Aschebygenses, Schogenses & Varfrubergenses, sunt amplexæ moniales. Verum consummato jam cœnobio Sorensi, ab Esrumensibus primi destinantur inhabitatores. Quandò etiam translata fuit Lubecum Episcopa Oldenburgensis, & Eschillus Daniæ Archiepiscopus, Jerosolymam peregrinatur; à quo tamen prius Suecis Stephanus consecratur. Etenim Alexander, precibus Sueonum inclinatus, Upsaliam illis metropolim, & Stephanum natione Anglum, vel Gallum, virum prudentiâ, scientiâque insignem, ac sibi perfamiliarem, assignavit Archipræsulem. Is statuto jussus auscultare Hadriani IV, ab Eschillo Lundenfi suscipit inaugurationem, & palli impositionem.

Anno MCLXIV. Novus Sueciæ Archimyta, consensum quoque nactus Pontificis maximi, super B. Helenæ apotheosi, & ideo in Vestrogothiam profectus, illam Schedvigi sepulchro jacentem, miraculisque fulgentem, de tumulo sustulit, & Divorum numero intulit, XXXI Julii diem, ipsius dedicatum memoriæ, promulgans. Compellatus etiam Alexander super ecclesiæ Upsalensis translatione, consensit, datis hac de re litteris, ad Petrum Vefmanniæ præfulem, quibus mandat, ut depræhensâ necessitate, ac loci oportunitate, veniam transferendi concederet.

Is proindè veteris & novæ statu, situque Upsaliæ fideliter oblustratis, approbat translationem Archiepiscopæ ad veterem Upsaliam, ubi plurimis floruisse seculis cultus idolorum, loco admodum augusto, sublimique, amœnissimam & amplissimam virentium pratorum habente per circuitum planitiem. Illa porrò exhilaratus facultate Carolus, in ea, qua steterat olim, illustre idolorum fanum area, nobilissimam exorditur basilicam, jactis ex marmore fundamentis, quæ ducentesimum post annum, ad fastigium fuerat deinceps perducta.

Interim præfules usi fortassis ecclesiâ, in propinquo ædificatâ spacio, quo vanorum quondam viguit numinum lucus, sanctissimæ Triadis honori dedicata; vel potius certè pristino in nova Upsalia templo, quod à S. Erico fabricatum, vel oppidò reor ornatum fuisse, non ipsam basilicam, quæ illo mortuo, prima cepisset exordia.

Idcirco autem episcopo Arosiensium, Pontifex translationis commisit IX Septembris, potestatem, quod esset ille ordinarius sedis Romanæ in Sueonia commissarius, cum successoribus universis, Nuncius, jurium, fructuum, reddituum, proventuumque Camerae Apostolicæ hic competentium, collector pridem constitutus. Quamobrem sequenti seculorum procurso, archiflumen Romanus, semper Arosiensi nominavit ecclesiæ antistites, non ullus indigenarum.

Porro Sueones, Alexandro pro tantis vicissim beneficiis gratificaturi, flagitanti, ut morientibus sine liberis in Sueonia liceret impostero facere Christum ex affe hæredem, bonis illorum omnibus ad ecclesiam devolutis; Sin vero liberos haberent superstites, sua tamen Christus portione haud defraudaretur, in cultus divini augmentum convertendâ, unanimes consentiunt, viguitque ista consuetudo ad tempora Gregorii X, quando fuit abrogata. Idem similiter Latus Antistes rogatus, monachis, Viborgi Augustinianis, primum in designando illic episcopo suffragium concesserat, simulque iisdem, curam sanctimonialium Asmildensium, ex statutis impostero S. Augustini, regendarum, commiserat. Ast Valdemarus, rebus magis nunc deditus mundanis, Henrico, principe Saxonum, commilitone, Rugianos impugnavit, & non paucis illorum subjugatis, in ostio fluminis

Vistu-

Vistulæ, propugnaculum fundavit, illud Dantzige, hoc est victoriam Danorum, ac fortè simul Gothorum nuncupans. Nam Gedanum, à Getis & Danis, ceu fundatoribus, quidam antiquitatis non ignari scriptores, sentiunt appellatum fuisse. Et præterea est credibile, quod Carolus Sueciæ monarcha, cohortes aliquot Gothorum, Valdemaro affini Rugianos aggressuro, auxiliares submiserit. Sed post abitum indè Danorum, Soboslaus, Rugiæ princeps, illud Scandianorum occupavit præsidium, & Danus, numeratis M. denariorum marcis, à furentibus ob hanc incurfionem Vandalis, pacem, sequestre Henrico Saxone, demùm impetravit.

Anno MCLXV. Ostenus, Haraldi quondam Norvegiæ regis nepos, Erlingum loco filii gubernantem, ex Sueonia cum exercitu (quò prioribus annis, ob insidias adversarii profugisset) in patriam reversus, vehementer illam oppugnavit. In Suecia vero Canutus S. Erics filius, sibi Carolum insidiari comperiens, ad castra in Norvegiam Osteni modo secesserat. Eschillus quoque Arhusiensium episcopus, Wongense, ordinis Cistertiensis, in sua fabricavit diœcesi, monasterium, illicque primos destinarent colonos, cœnobitæ Herevadenses.

Anno MCLXVI. Valdemarus, cupiens iterum Rugianos, non tam suo, quam Christi subjugare imperio, ipsos feliciter expugnavit, subsidio etiam vicinorum principum adjutus. Iraque horum antesignanus Saxo, postulatos ideò dimidios Rugiæ census annuos non impetrans, armis Valdemaro illatis, ipsos violenter obtinet.

Anno MCLXVIII. Rex Valdemarus & Absolon episcopus, intercessione potissimum Suetici Archipræsulis, IV. Novembris ab Alexandro pontifice impetrarunt, ut Rugiam diœcesi subderet Roschildensi, quoad jurisdictionem ecclesiasticam, mandaretque Absoloni ac successoribus sedulam Rugiæ conversionem. Idem modo antistes, crebras piratarum in Sielandiam prohibitorum incurfiones, in communi negotiatorum portu, castrum condidit Axelhusium, seu Stegeholmium, quod fundata illic deinceps civitate, Hafnia fuit appellatum, ac ecclesiæ perstitit diu Roschildensi incorporatum. Ast principio anni, Canutus auxiliaribus stipatus Norricorum cohortibus, in patriam revertitur, ibique à paternis magis confortatus fautoribus, regem Carolum in Visingiana aggreditur insula, qui XII Aprilis, ab eo cæsus, in ecclesia humatur Alvastrænsi, vitâ princeps longiori dignissimus.

Conjux autem Sophia, inde cum liberis minorennibus ad avunculum in Daniam evadens, in Suecos flagitat rebelles subsidium, quod nactus Gothiæ populus, indignam dilectissimi regis mortem, statuit vindicandam. Quare Colonem, Caroli fratrem sequens ducem, adversarios adoritur, & amisso ductore, certatim dilabitur.

Anno MCLXIX. Bugislaus, seu Boleslaus, alter Caroli frater, ex nupero incolumis elapsus prælio, & rex à Gothis salutatus quoque rebellibus, Canutum denuo impugnat; Nec aliquandiu infeliciter, quod auxilia identidem illi Valdemarus submitteret, donec tandem in prædio commorans incautius Bielbogensi, ab hoste trucidaretur. Permissu autem victoris Sophia, deinceps in Sueciam regressa, monasticen cum filia, glorieque in cœnobio profiteretur Vretensi. Isto demum anno, Nicolaus, Viborgensis episcopus, eximiam condidit ecclesiam S. Augustini monachis, suæ urbis inhabitatoribus, in qua corpus postea S. Cheliani reverenter fuerat depositum.

Hoc etiam circiter tempus, Rodolphus, præsul Ripensis, non flagitato Pontificis Romani, vel Archiepiscopi, consensu, ossa S. Leofdagi, eleganti loculo inclusa, decenter aræ imposuit; Quando inter Episcopum, & Canonicos ordinis S. Augustini, gravis admodum lis exarsit, quod mandanti, ut habitu Regulæ

gulæ conformi uterentur, obedire noluiſſent, & Canonicum facellano ſuo beneficium, illis inconſultis, conferenti, tantoperè ſe oppoſuerint, ut à verbis ad verbera fit ventum in Conſiſtorio, ac pallium Antiftiti dilaceratum. Illam porrò intelligens Archimyſta diſcordiam, annum Ripæ ſilentium ſacris impoſuit, & deinceps litem ita compoſuit, quod Canonicorum deſignatio pertineret impoſterum ad capituli arbitrium. Hinc magis præful exaſperatus, Canonicos, velut ſuæ Regulæ tranſgreſſores, coram Alexandro inculpavit, & auxilio Stephani, Archipræſulis Suetici, VIII. Novembris, Beneventi, ſententiam execrationis in prævaricatores Regulæ obtinuit. Ibi etiam Valdemarus conſenſum paternæ apotheoſeos impetravit, quam propter ſuos hoc anno legatos, in Latium deſtinaffet.

Anno MCLXX. Danici oratores ex Italia reverſi, gratiſſimum Valdemaro adferunt reſponſum; Qui propterea convocatis Ringſtadium ordinibus regni, XXV Junii, paternas de tumulo reliquias, operâ Eſchilli & Stephani, Archipræſulum, ſollenniter elevatas, ac præcioſo impoſitas loco, in altari collocavit.

Quo ſimul die. Canutum filium, deſignatum in throno ſucceſſorem, diademate inſigniendum procuravit. Hoc etiam tempore, Gothi per Canutum armis compulſi, iplius ea lege conſentiunt electioni, ut illi mortuo, Suercherus, Caroli filius, veteris jure pacti, utroque ſimul regno potiretur; Nec Canutus recuſans conditionem, diadema Sueciæ, Gothiæque ſollenniter modò capeſſit. Deinde uxorem duxit Norvegam, matrem Erici & Margaretæ, hæcque Suerroni Norvegiæ regi, poſtmodum nupſerat.

Is hæctenus in Farogia litteris probè imbutus, cum prius eſſet Diaconus ordinatus, & modò præbyterii ordinem foret ſuſcepturus, à matre cognoviſcit, ſe legitimum ſceptri eſſe Norvegici hæredem, illudque ſacerdotio commutare nolens, ſpe avitos recuperandi honores, actutum in Norvegiam feſtinavit. Atque illuc perveniens, cognoviſcit armis Oſteni patruelis & Erlingi, patriam eſſe ſubaſtam, inque hujus delituit aliquandiu caſtris, donec proditus, ad Birgerum, Gothiæ principem, ſuæ maritum amitæ, quantocyus indè profugeret. Sed nullam ibi ſpem ſubſidii aſſurgere comperiens, ad alteram ſeceſſit amitam, in Vermelandia habitantem, ubi diutius moratur, & catastrophen civilis in Norvegia tumultus, præſtolatur.

Hoc non impeditus Bergeniſum antiſtes, Paulus, B. Sunivæ corpus, ex Selio nunc Bergam, non modicâ tranſtulit feſtivate, quod, XII. Septembris, in eccleſia urbis primaria, religioſè collocavit. Meinardus verò Livoniæ modò conſtituitur Epicoſopus, qui pridem, cum quibusdam ex Brema negotiatoribus, illam ingreſſus, Evangelii gentibus annunciandi gratia, plurimos hæctenus incolarum, Chriſto fuerat lucratus. Interim Danus, Julini intentus expugnationi, per vetus occupat emporium, & ſolo illud adæquat; Sed Roſtochium, alia Vandaliæ civitas, primum modò exordium conſequitur.

Anno MCLXXI. Valdemarus politicas Sielandiæ leges, & Abſolon eccleſiaſticas, condiderunt, hujusque frater Eſbernus Snare, Gotormi, Sueonum ducis gener, hac fundavit tempeſtate Kalenburgum. Confors porrò Helena vocabatur, quam nonnulli antiquitatis imperiti ſcriptores, perperam cum Diva confundunt Schiædviciſi. Orbæ autem cathedræ Ripenſi præbyterium, regi CCC. marcis numeratis, facultatem obtinet epicoſopum nominandi, ex tribus Abbatibus unum, nempe vel Viteſcholſem, aut Thuifenſem, vel Herevadenſem, & hunc deſignat, nomine Stephanum, quod vir eſſet religioſiſſimus.

Annum circiter MCLXXII. Finlandia proprium nanciſcitur Epicoſopum;

pum; siquidem cum hoc usque tempus, Upsalensi paruiſſet Antiftiti, Canutus, poſitâ in Rendamechi, prope Abogiam cathedrâ, illi præfulem deputat Rodolphum. Sed Gothiæ australis eccleſia, quæ diu Scarenſi, nunc Lincopenſi obtemperaffet Epifcopo. Fabricis etiam eccleſiaſticis, Canutus in Sueonia dat operam promovendis, ſtructuram baſilicæ Upſaleniſis, & cœnobii Gudhemeniſis ſedulò maturans. Eximia porrò Lundia Scanicæ incendio vaſtantur ædificiâ, ſimulque fortaffis elegantiffima eccleſiæ fabrica conflagravit. Commodius verò & ſplendidius, Vongenſes Jutiæ monachi diverſorium adepti, ad monaſterium, Chara inſula, vocatum, alacres migrarunt.

Cæterum Oltenus, rebellium in Norvegia rex quorundam, pleroſque incolarum ſibi comperiens adverſari, & periculofos ubique laqueos ſibi ab Erlingo, vice filii regnante, objectos, cum ſectatoribus ſylvarum petit deſerta; Qui diu illic oberrantes, conſumptis veſtimentis, ſe corticibus arborum cooperiunt, indeque Byrchebinderi fuerunt appellati.

Anno MCLXXV. Margareta quædam, inſignis ſanctimonix fœmina, Roſchildiæ paſſa eſſe martyrium memoratur.

Anno MCLXXVI. Calendis Octobris, fortuito conflagravit incendio, monaſterium Ripæ Canonicorum Regularium, unaque urbis Baſilica, & S. Leofdagi reliquiæ. Atqui Norvegia flammis adhuc uritur civilibus; Siquidem Erlingus, Oſtenum in deſerto investigatum, cum plurimis commilitonum trucidaverit, & ſuperſtites difficili fugâ elapſi, Sueciam & Tilemarchiam trepidi accedunt, Suerronem indagaturi, qui, cognitâ nuper Oſteni clade, in exoticas meditabatur regiones profectionem.

Anno MCLXXVII. Suerro à Byrchebinderis in Vermelandia inveſtigatus, illorum compellitur ſuſcipere invitus regimen, & veris initio, cum iſſis per Jemptiam ingreditur Norvegiam, hoſteque paſſim occurrente, proſtigato, Nidroſiâ potitur, ubi ab incolis & accolis, rex ſalutatur. Per ſequens deinceps anni curriculum, vario cum hoſtibus Marte belligeravit, ſtratagematibus victor plerumque evadens. Quo Valdemarus tempore, pacis quam belli amantior, Canutum filium, Scania & Hallandiæ ducem creavit. Sed utriusque præful regionis, Eſchillus, de Danica optimè meritis Eccleſia, quod propriis impenſis, V in illa fundaffet ampliffima ordinis Ciſtertienſis paſſim cœnobia, emeritus & ſenio, morbisque gravatus, amoreque Dei magis, & S. Bernhaldi inflammatus, officio ſe abdicavit, atque illud cognato Abſoloni aſſignavit; Quo cum etiam Roſchildenſi fruitur ſimul Eccleſiâ, non paucis annis, idque Romani Antiftitis permiſſu; Interea tamen magis galeâ utens, quam infulâ, & inſignem navans patriæ operam in Vandalos.

Anno MCLXXVIII. Valdemarus, Danorum monarcha, præfule Abſolone architalaſſo, cum Vandalis feliciter admodum bellavit. Simili etiam favore Martis, Suerro ſuis Nidroſiæ congreſſus adverſariis, inſignem de iſſis victoriam reportavit; Erlingo illic occumbente & quieſcente, Magno & Oſteno Archiepiſcopo, Bergam profugientibus. Eſchillus verò Danorum Archimyſta, ſolo patriæ relicto, Galliam adivit, ubi reliquum vitæ in Clavalleniſium contubernio tranſegit, ſub cucullo monaſtico. Quando matrimonia Islandiæ clero ſevere prohibentur.

Anno MCLXXIX. Magnus exercitu per hyemem Bergæ comparato, ineunte vere, Archiepiſcopi ſuaſu Nidroſiam revertitur, & honeſtis à Suerrone propoſitis concordix legibus, contemptis, hoſti congreſſitur, ab illoque iterum ſuperatus, properat in Daniam, Valdemari regis conſanguinei ſubſidium imploraturus. Verum Oſtenus, regni ſummus antiſtes, Suerroni non minus infeſtus, quod ordine diaconatus neglecto, thronum

num & torum affectaret conjugalem, in Angliam secesserat; At Suero interea Bergam profectus, illius incolas & accolas subjugavit, nec hostium magnopere in transmarinis regionibus molitiones formidavit.

Anno MCLXXX. Sconia populis ob regionum tyrannidem praefectorum, decimarumque solutionem rebellis, cum ingenti suorum clade, ad consuetam a Valdemaro revocatur obedientiam. Nonnullas vero Magnus copias haecenus in Dania nactus, Bergam Norvegiae festinat, ubi praelio confligit navali cum Suerrone, in quo vulneratus, XVIII navigiis spoliatus, superatusque, fugam cum reliquo exercitu arripuit. At insignem Suero adeptus victoriam, spoliaque amplissima, Nidrosiam in hyberna perrexit, & Magnus Bergam reversus, illic hyemavit. Isto demum anno illustris Alvastrisium Ecclesia, plurimo consummata sumptu, sollemniter consecratur.

Anno MCLXXXI. Fridericus imperator, Henrico Saxonum duci bellum intulit, & Danum a ferendis hosti suppliciis, aversurus, illi ad castra sub urbe Lubecensi posita, honorifice vocato, ibique cum filio Canuto, & multa procerum frequentia magnifice comparenti, confirmat ditiones per ipsum nuper in Vandalia occupatas, ac filiam Valdemari Christinam, filio Henrico sponsam postulat, obtinetque, & cum ipsa dotem, IV millia librarum argenti. Sed altera Valdemari filia, nomine Valburgis, prius nupsit Bugislao, duci Pomeraniae, qui modo in castris sub Lubeco, a Caesare princeps imperii designatur. Tertia, Philippo Gallorum; & quarta, Erico Suecorum, desponsa fuerant regibus; Porro quintam duxerat Vilhelmus, Saxonici Ducis filius, huiusque vicissim sororem Gertrudem, habuit uxorem Canutus, qui proinde Henrico genero, subsidia in Fridericum lubens tulisset.

Isto temporis curriculo, Ericus princeps quidam eximius, qui sub vexillo Emanuelis, Graeciae imperatoris, diu summo cum encomio, stipendia meruisset, in Norvegiam regressus, se fratrem Suerronis esse affirmat, & gestato, juxta veterem consuetudinem, ferro candente, citra manuum nudarum laesionem comprobatur, regni que portionem obtinet. Magnus exercitu interea reparato, Suerronem Nidrosiae convenit, & aequas ab hoste iterum conditiones pacis oblatas respuit; Nec tamen illum praesumens aggredi, hinc recedit, moxque rediens, cognito Suerronis abitu, praesidia illius profligat, atque totam subjugat ditionem Nidrosianam.

Anno MCLXXXII. Magnus & Suero mutuis se cladibus, incolasque Norvegiae miserrimos, cumularunt frequenter, illo plerumque vincente, quod maris dominium obtineret, & Suerrone succumbente, in castroque Suerreholmensi, de suo nuper nomine fabricato, refugium identidem captante. Eschillus autem Daniae quondam Archipraeful, mundanae perfunctus feliciter militiae, in conventu Gallorum Clarevallensi, VI Septembris, ex corporis ergastulo migravit, & prope tumulum S. Bernardi maternum, requiem membrorum obtinuit. Verum XII. Maji, fortunatus & victoriosus Danorum rex Valdemarus, contribulis Eschilli, vitae clauserat periodum, Ringstadii sepultus. Paternis vero exequiis absolutis, Canutus regni gubernaculo dexteram admovet, illique Jutiae populus, sub Valdemaro inclementius tractatus, & Sconicae cladis anno priori acceptae, recordatus, rebellavit. Sed illum non difficulter sedavit, placavitque hunc nequaquam, utpote, qui Haraldum, Canuti olim Roschildiae occisi filium, ideo ad Daniae sceptrum promovere machinaretur.

Anno MCLXXXIII. Haraldus apud consanguineos multis in Suecia annis moratus, & nunc a Sconis, ad capeffendum Daniae imperium invitatus, auxiliariis a Canuto Sueonum rege, atque Birgero, Gotho-

rum duce, acceptis cohortibus, in Sconiam properat, Sconisque ad se confluentibus certatim, roboratus, Lündiam impugnat. Porro illic rebus suis minus prudenter invigilans, à superveniente hostium exercitu profligatur, & Sconia plebecula facundo Absolonis alloquio pervasa, domum inde dilabitur; Quæ postea multo ære soluto, vehementer luit rebellionem, Haraldusque illius antesignanus, in Dalbygenfi ex fuga collectus cœnobio, ibi moritur, & sepelitur. Ita domestico liberatus bello Canutus, mediocres destinat in Livoniam copias, incolis Christo fidelibus, adversum infideles, opem laturas. Quando à Cæsare sub regni amissione Canutus, ad colloquendum, & fœdus cum parente sancitum denuò firmandum, accitus, non illum accedere dignatur, semper obtendens, sibi per domesticam non licere subditorum rebellionem, convenire Imperatorem.

Haftenus Suerro minoribus sibi navigiis comparatis, Magnum, Bergæ nihil periculi metuentem, noctu invadit, illumque, post tentatam infelicitèr defensionem, ad Danos iterum profugientem, integro belli apparatu, classe, regiâ suppellectile, regalibus ornamentis, & toto exiit Norvegiæ imperio, idque mox peragrans, plexis rebellibus, ad suam perducit obedientiam. Iraque Ostenus, antistes Norvegiæ supremus, Magni diffidens fortunæ, in patriam ex Anglia migrat, & Suerroni factus supplex, veniam impetrat, victorque per anni reliquum nactus à bello quietem, famosum & admirandæ magnitudinis navigium, Mariefuden appellatum, fabricavit, æmulum illius, quod priscis in Norvegia seculis non citra maximum visebatur stuporem, Ormen hin longe, vulgo nuncupatum. Isto pariter anno, Simon Viborgensium Episcopus, claustrum Viborgi Marianum suis impensis ædificavit, quod seculi procurfu, ad Dallum fuerat translatum.

Anno MCLXXXIV. Canutus Sueciæ, Gothiæque monarcha, fabricato in Sudermannia cœnobio Juletensi, eò jubet Monachos ex Saba Uplandiæ, velut locum migrare commodiorem. Quo in Daniam veniens tempore Sigfridus, Thuringiæ Lantgravius, Sophiam Valdemari viduam, duxit conjugem, deinde repudiatam, & Christinam eduxit privignam, ab imperatore socero futuro educandam. Quando hortatus est etiam atque etiam Canutum, Daniæ regem, privignum, ut Cæsarem accedens toties vocatus, illius se vasallum, imperiique agnosceret. Sed Canutus spretâ vitrici admonitione, exulantis Norvagici regis petitioni satisfacit, tertium auxiliares ipsi copias subministrans. Quibus Magnus fretus in Norvegiam remeat, & præsidio Suerronis Bergæ trucidato, ipsum aggreditur Suerronem, in portu hærentem Sogniensi. Nec imparatum, vel minus animatum solito hostem offendens, victoriam, vitam & regnum penitus amisit, XV. Junii, in ipso submersus conflictu navali, cum XI regni optimatibus, & MDC.CC. de gregario milite. Postridie autem corpore Magni investigato, & magnificè in ecclesia Bergensium humato, victor Suerro totum sibi regnum denuò subjicit, ac post diurnas bellorum molestias, variaque fortis ludibria, quietum Norvegiæ consequitur tandem dominium,

Anno MCLXXXV. Proinde Suerro de retinendo patriæ throno jam securior, filiam regis Suetici Margaretam, petit uxorem, obtinetque. Prius verò pellicibus usus variis, ab illis suscepit liberos naturales, Haquinum, Sivardum, Ingeburgem & Ceciliam, hæcque nupta uni magnatum, Bardero, genuit regem Ingonem. Sed regi Magno, superstites erant filii, Sivardus, Ingo & Haquinus, qui Suerroni non parum negotii postea facefferant. Ast modò Cæsar Dani offensus vehementer arrogantiam, inobe-

inobediētiāque, invadēdi Dāniā, & imperio restituēdi, sedulus captat occasionem.

Cæterum Stephanus primus Sueciæ Archipræsul, XVIII Julii, factorum violentiā sublatus, in suo apud Alvastrēses monasterio tumulatur; Illi autem calculis presbyterii Upsalensis, Johannes subrogatus, missis in Italiam legatis, à Lucio III. postulat confirmationem electionis. Nec illam Pontifex solum lubens impertit candidato, sed insuper, V Novembris, Veronæ omnia Ecclesiæ Upsalensi roborat privilegia, & ipsam cum bonis quibuslibet sub suam admittit protectionem specialem, simul vetans, nè quis Sueonum designationi Archiepiscoporum se ingereret, ve excommunicatos ab illis, officio restitueret, & consuetæ hominum conversationi, secusque facientem, subjiciens horrendæ maledictioni.

Anno MCLXXXVI. Johannes, Sueciæ Archipræsul, reversis ex Latino nunciis, per Absolonem Lundiaë initiatur. Verum Ripensium, Stephanus antistes, sanctimoniā conspicuus, felicem exhalavit spiritum, & nactus sepulturam è regione summi chori, juxta meridionalem in basilica parietem, miraculis coruscavit. Huic successit Homerus, quo auctore, XII Ripæ Canonici evadunt regulares, & totidem seculares, illoque sedente, bibliotheca & suppellex Ecclesiæ, plurimum illustrantur. Nec minus pietate ac liberalitate B. Thorlaci, floruit Ecclesia Schalholtenensis, quem XXIII Decembris, ætatis suæ LX, & officii episcopalis, optime administrati XV anno, mors abripuit, forsque melior cælo intulit.

Canutus porrò Danorum rex, in Eltones suis infestos littoribus, arma movit, & interea Bugislaus, Pomeraniæ dux, de Cæsaris voluntate, Canuto subjectionem abnuenti, succensentis, Rugiam invadit Daniæ patentem, quem Absolon inde profligavit. Suerroni etiam novæ in Norvegia turbæ moventur; Siquidem monachus quidam, cænobio deserto, se filium regis Ingonis mentitur, & commilitones nactus Magni, nuper defuncti sectatores, Suerronem biennio domesticis molestavit tumultibus.

Anno MCLXXXVII. Absolon paulisper galeâ sepositâ, curam infulæ suscepit, in synodo Daniæ provinciali, cantum ecclesiasticum, & horas cleri canonicas, emendans, uniformesque toti regno commendans. Tunc Norvegiæ Archipræsul, Ostenus, suo valedicens officio, vitæque commercio, Ericum Stavangriæ Episcopum, adipiscitur successorem, Romæ confirmatum & consecratum.

Anno MCLXXXVIII. Suecos mare accolentes, Curlandi prædantur, & Melerum Uplandiæ lacum ingressi, Calendis Juliis Johannem regni primatem, in prædio cædunt Almerstehensi, & ipsum Upsalenses cum luctu tradunt monumento, mox eligentes Petrum, qui à Clemente approbatur, & ab Absolone inauguratur. Inde verò piratæ digressi, antiquissimum, opulentissimumque Sueciæ emporium, Sigtoniam, divitiis spoliatam, incendunt, quæ ad pristinum amplius non rediit splendorem & honorem. Autoritate similiter, potestateque Clementis III. à Daniæ Præsulibus sollicitati, ac probè informati, B. Chelianus nunc Divorum albo inscribitur. Quando Henricus Leo, Saxonum princeps, expugnatâ & desolatâ Bardevicensium urbe, reliquias ibi repertas divi cujusdam, dudum illic prædicantis, ac morientis, interimque plurimo isthic honore florentis, Canuto Daniæ regi, suo genero donavit, quas ille, velut thesaurum eximium, in patriam multâ traduxit reverentiâ.

Nunc etiam tertio, Canutus ab Imperatore ad colloquium accitus, aditu superfedit, subverendo, nè cogeretur, prout antea S. Canutus, Sueno & pater Valdemarus, ad spondendam imperio subjectionem. Ideoque Fredericus, & quod dimidium dotis filio promissæ non obtineret, vehementissimè

tiffimè iratus, sororem Canuti remisit inviolatam; Atque Thuringiæ princeps Cæsari gratificaturus, suam quoque repudiat conjugem Christianæ matrem, vel sororem, & utraque vitam Roschildiæ monasticam amplectitur; Canutus porro, XXVI Julii, Valdemarum fratrem balteo militari, & ducatu Slesvicensi, quâ par fuerat solennitate, donavit.

Anno MCLXXXIX. In comitiis Moguntiaë celebratis, bellum ab Europæ decernitur principibus Palestinam recuperaturis, quam Saraceni antè biennium armis subjugassent. Itaque Cæsar hujus caput militiæ futurus, nè Danus hostis, in sua infestaret absentia imperium, ipsi prius reconciliatur. Postea ille, cæterique Scandiæ reges, ab Imperatore, ad ferenda simul terræ sanctæ subsidia, provocati, navales conjungunt copias cum Flandris & Frisonibus, littoraque infestant L navium classe Africana, & munitissimam expugnant urbem illic Silumam. Inde vero Scandii Syriam ingressi, nisi opem Italis tulissent, Ptolomaidem obsidentibus, hos Saraceni penitus delevissent. Demum universo Christianorum adventante illuc exercitu, eò ferventioribus animis Ptolomais expugnatur, quod crucemibi Dominicam, Hierosolymis ablatam, vana divulgasset fama reconditam esse.

In hac porro expugnatione, virtus enituit præcipuè Scandianorum, Anglorum & Gallorum, testimonio Abbatis Ursbergensis, eorumque fortitudine, Saracenis Palestina eripiebatur. Atque propter hujus defensionem, & præsertim Hierosolymæ hostibus extortæ, Teutonicorum ordi militum illic sumpsit exordia, indeque postmodum in Livoniam ac Prussiam propagatus fuit.

Suerro, Norvegiæ monarcha, potiorem exercitus partem domi retinens, illo monachum Bergæ, sectatoresque insperatus invadit, ipsisque interneconioni datis, tranquillum habuit aliquandiu regimen. Quod tamen Ericus, regni primas, ab urbe reversus, nonnihil perturbavit; Quandoquidem in primis constitutionum executionem ecclesiasticarum, plus æquo urserit, cupiens inter alia, ut multæ duplo sibi majores, quam regi, penderentur. Quamobrem Suerro, convocatis ordinibus, illorum hac de re poscit sententiam, ipsaque Ericus sibi contrariâ non contentus, ad Romanum provocat tribunal. Et cum non obscura rebellionis ac seditionis ostentaret indicia, his senatus regni occursum, ex legum præscripto mandat Archipræsuli, nè imposterum pluribus incederet stipatus satellitibus, quam XXX. ac reliquos in lapidinis, pro fabrica basilicæ consummanda, non in militia, exerceret. In Dania, Regulares, Viborgensium canonici, à Clemente III. flagitant privilegiorum confirmationem, illamque impetrarunt.

Anno MCXC. Saxo Præpositus Roschildensis, suam de regibus Daniæ historiam perduxit ad calcem, quam instinctu Absolonis Episcopi suscepisset conscribendam, non paucis hæctenus annis elaboratam, tantaque elegantia concinnatam, ut Erasmus facundiam viri, ætate ista scribentis, summo opere admiraretur. Itaque solum in eo reprehendunt illum scriptores, quæ Dani, quæ Germani & Scandiani, quod plurima commemoret paradoxa; fabularum scorias, pro historiis passim lectori obtrudat; nec allegoricas veterum relationes, ab historicis distinguat; plus æquo suæ faveat nationi; triumphos illi adscribat incredibiles; alias non minus encomio dignas, foedis oneret sæpius gentes convitiis; & solis contentus rerum monumentis, temporum negligat ubique momenta, quæ non postrema sunt historiæ ornamenta, sine quibus illa chaos censetur confusum.

Anno MCXCI. Canutus promissionis immemor, de non infestanda, Cæsare absente, Vandalia, hanc impugnavit, postquam ipsi mors Friderici

innotuisset. Antequam verò Absolon huic se accingeret bello, Roschildensem assignavit cathedram Petro Sunonis à Knardrup, suo cognato, diœcesi contentus Lundensi. Sed Valdemarus Slesvicensium præsul, suâ non contentus episcopâ, quod filius esset Canuti, quondam Roschildiæ à Suenone occisi, partem regni paternam cœpit affectare, & prout Suerro Noricorum rex, à diaconatu, ita Valdemarus ab episcopatu, ad regiam adspirare dignitatem. Nec regem Canutum sibi prævaliturum existimavit, quod is Cæsarem & omnes imperii principes, haberet adversarios, quibus cum Valdemarus, ac præsertim cum Ottone, Brandenburgensium Marchione, Bernhardo, Saxonum Electore, atque comite Holfatorum, Adolpho, adversus regem fœderatur. Hujus denique Antistitis facultate, turma quædam monachorum ad cœnobium in Jutia, Rus regium appellatum, modò commigravit; At summus orbis Christiani præsul, Cœlestinus, Romæ, XXII. Februarii, ordinem Crucigerorum, sua potestate confirmavit.

Anno MCXCII. Præfatus quoque antistes, Valdemarus, novum in sua diœcesi fundavit monasterium, Gulholm nuncupatum, & Canutus præfulis ignorans molitiones, denuò Vandaliâ impugnat, quodque nonnullam illius portionem hæctenus occupasset, primus regum Daniæ, titulum Vandalicum usurpat.

Anno MCXCIII. Valdemarus episcopus, Canutum throno regni deturbaturus, à fœderatis flagitat subsidium principibus, quod tempore condicto promittunt affuturum. Ita præsul Daniæ cupidus, de terrestri hujus impugnatione securus, de maritima fuit duntaxat sollicitus; Et propterea in Norvegiâ profectus, à Suerrone Canuti osore, propter latas quondam Magno suppetias ab illo, ac parente Valdemaro, XXXV. navium obtinet classem.

His vero copiis succinctus navalibus, Daniam repetit; se regem ipsius scribit, & cum hostibus confligit. Sed fraudulentis seductus horum persuasionibus, tertiam regni portionem sibi pollicentium, induciasque ideo flagitantium, receptui canit; Quem Canutus tempore induciarum perfidè captivat, & arctæ per annos XIV. custodiæ mancipat. Danus porro domi pacem non satis honestè nactus, in rebelles convertit arma Vandalos, quibus domitis, Stetinum & Volgastum eripit.

Philippus quoque Gallorum rex, bellum Anglis meditans, ut contra illos Danorum juvaretur auxilio, Ingeburgem Canuti sororem deligit thalami consortem. Ericus etiam Norvegiæ archiepiscopus, opem ex Dania sibi contra Suerronem, Valdemari præfulis capti amicum, sperans ferendam, illuc profugit, quod se Rex, & senatus nuper in ordinem nonnihil redegissent. Machinabatur autem Ericus, illustrisque vir Holchelus Jonæ, procerum Noricorum potissimus, & gener Erlingi Jerl, Sivardum Magni regis filium, Suerrone deposito, ad regni sceptrum promovere, ipsi à Dano cognato, & contra Suerronem irato, auxilium latum iri confidentes, quod Ericus modò præsens imploravit.

Anno MCXCIV. Holchelus, à comitibus Orchadensium, quos nuper accesserat, opem Sivardo postulaturus, copias nactus auxiliares, Danico non expectato subsidio, Norvegiâ impugnat patriam; Tonsbergam occupat, & Bergam arctissimè obsidet; Ubi tamen hostibus Sverro congressus, illos cum Holchelo & Sivardo prostravit. His sublatis æmulis, reliquos Suerro non magnopere sibi timendos existimans, suam cœpit meditari coronationem, illique præfulum instinctu, Legatus pontificis Romani obluētans, suadet, ut Archiepiscopum extorrem inprimis patriæ restitueret, & à voto castitatis, in susceptione diaconatus, nuncupato absoluteionem obtineret. Hinc Suerro indignatus, suasorem insigni affectum con-

contumelia, regno exturbat; quem Papa despectum legati, graviter postea vindicavit.

In Livonia feliciter obdormivit modò Meinhardus, primus illius Apostolus & Episcopus, ipsique successit Bertoldus. Sed in Sielandia fortuitis absumitur flammis, claustrum Efrumense.

Anno MCXCV. Sorenses officiosè rogati, Assensibus in Hallandia cœnobitis, per liberalitatem præfulis Valdemari locupletioribus, plures destinant contubernales. In Norvegia verò inaugurandus Suerro, regni ordines Bergæ convocat, illicque primum causa Harald, Orchadensium comitis discussa, qui propter suppetias Sivardo, contra regem nuper latas, suam in Hetlandos jurisdictionem, & sextantem proventuum de Orchardibus annuorum, fisco regni assignare compellitur.

His ibi negotiis peractis, Suerro & conjux Margareta, XXIX Junii, solenniter initiantur, aureisque decorantur coronis, ingenti quidem lætitia; Quam immensa protinus tristitia perturbavit. Etenim Canutus, Sueonum rex, Margaretae parens, modò in Eriksberga Vestrogothiæ mortuus, Varnhemensique humatus in cœnobio, pertristi eos nuncio perculit. Deinde filius Ericus, cum Suerchero, Caroli nato, aliquandiu fuit de sceptro Sueciæ corrixatus. In Gallia Philippus rex, sub falso cognationis prætextu, Ingeburgem repudiat, & alteram sibi uxorem copulat. Verum negotio probe ventilato, Pontificis jussu Romani, secundam cogitur dimittere, & primam, velut minime cognatam, thalamo admittere. Illud promovit negotium meritò Canutus, Danorum rex, frater Ingeburgis, qui hac ex voto re peractâ, bellum statuit Marchioni Brandenburgensium inferre, quod Valdemaro Slesvicensium capto Præfule, fuisset anno MCXCIII auxiliatus, & quasdam Vandalia subjugasset ditiones, ad Daniam spectantes.

Quocirca Vandaliam invadit, illuc expedito cum ingentibus copiis, Petro Roschildensium episcopo, hujusque fratre Torberno, & hostibus non inermis occurrens Marchio, de illis triumphat, ac Torberno cæso, Episcopum captivat, qui anno sequenti fraudulenter ex custodia in patriam evasit. Quo etiam profugit ex Norvegia tempore, Nicolaus, Aslogenium episcopus, fortassis, quod regnum propter Suerronis contumaciam censuris foret involutum ecclesiasticis. Ibi porrò machinatur Ingonem, Magni alterum filium, ab Erico Archiepiscopo, hujus gratiâ in Dania hæctenus educatum, in Norvegiam contra Suerronem reducere.

Anno MCXCVI. Canutus posthabitâ Norvegiæ & Vandalia, quibusdam de causis, impugnatione, ipsemet in Estoniam traducit exercitum, illamque armis subactam, ad Christi pertrahere simul agnitionem, sedulo laborat, fundatis ibi ecclesiis, & concionatoribus non paucis illic constitutis. Otto autem, Brandenburgensis Marchio, regis absentiam animatus, & victoriâ superioris anni elatus, Adolpho, Holfatorum comite, ad militiam pertracto, partem in Vandalia Danorum, infestavit.

Anno MCXCVII. Canutus inprimis Adolphum, propter impugnatam nuper Vandaliam plexurus, initio veris cum insigni copiarum frequentia Holfatiæ appropinquat, & Adolphus, hostilis dudum præscius molitionis, expeditionisque, suis ac fœderatorum instructus oppidò armis, audacter occurrit. Quo cum propterea Danus maluit inducias approbare, quam pugnare. Hinc itaque reversus, votis satisfacit præfulum, Norvegiâ extorrium, qui fortissima illic agmina bellatorum nacti, cum ipsis & Ingone in Norvegiam audaces redeunt. Nec suis Suerro rebus indormiit, qui cognoscens Vichiam ab hostibus subjugatam, & Ingonem Sarbsburgi regem esse designatum, illuc advolat, profligatusque remeat Aslogiam; Ubi denuò cladem suorum passus, inde Bergam festinat, hincque Nidrosiam; sed victor, Ingo, Norvegiam subjugat australem.

Neque

Neque tempestivas fororio potuit Ericus, Sueonum princeps, ferre suppetias, quod cum Suerchero domi sapius digladiaretur, hosque intermodò ita transactum est, ut vigore pacti vetusti, Suerchero nunc diadema cederet, & hujus post obitum, idem Ericus capefferet. Erat autem Suercherus plurimis animi, corporisque præditus dotibus, conjugem habens Benedictam, illustris in Dania optimatis filiam Ebbonis, matrem Johannis, Thuronis, Catharinæ & Helenæ. Quæ cum Danis affinitas, sicut etiam cum ipso rege consanguinitas, illius ad thronum Sueciæ promotioni, non parum dubio procul profuerunt. Verum liberationi præfulis Valdemari, nihil profuit legatio Fidentii Cardinalis, à Cœlestino III. illam propter nuper in Daniam expediti, quod hoc legatus tempore, fatis Lundia succubuerit, ante negotii transactionem.

Anno MCXCVIII. Intelligens Canutus, Adolphum arcem moliri limitaneam in Dania perniciem, videlicet Reinholsburgum, fecus Eidoram, illuc properat cum plurimis armatorum millibus, Adolphoque prius non reconciliatur, quam castrum sibi esset assignatum, quod rex, ducto etiam ponte per Eidoram, firmiter obmuniit, ut illac, quando luberet, tutò posset Holfatiam invadere. Huic verò intentus operi, matrem Sophiam vivis excessisse cognoscit, ideoque protinus inde reversus, Ringstadii, quo dignum fuerat honore & amore, ipsius celebrat exequias. Atqui Gertrudis, Canuti uxor, anno priori mortua, in oppido Wæ conquiescit. Isto pariter anno morti succumbit Petrus Sueciæ Archimyta, XVIII. Septembris, Ecclesiam commendans Olao Upsalensem.

Suerro interea temporis, restaurato per hyemem Nidrosiæ exercitu, primordio æstatis, cum ipso Aslogiam remeat, ibique hostes fortunatius solito aggressus, victor de ipsis clarissimus evadit. Quippe illis partim trucidatis, partim fugatis, hostilem classẽ, & eximias consequitur exuvias, hisque potitus, Vichenses & alios rebellium ad pristinam revocat subjectionem, pro meritis prius multatos. Sed interim Ericus & Nicolaus, antistites, cum suo Ingone, & milite residuo Nidrosiæ collecti ex fuga, castrum expugnatum, opibusque spoliatum, diruunt; classẽ Suerronis præsentem incendunt; ac denique tantam Ingonis & Suerronis discordia, Norvegiæ per triennium intulit calamitatem, ut illam plenè nemo, sine lacrymis, ubertim profusis, valeat commemorare.

Quo temporis intervallo, Archiepiscopus & sectatores, legatis Romam transmissis, coram Innocentio III. enormia impingunt Suerroni crimina, ac proinde bullas Papæ obtinent, quibus prohibet Norvegis & Islandis, Suerroni, velut in Deum, sanctosque perjuro; Canonum sacrorum contemptori; libertatis ecclesiasticæ oppressori; atque perditionis filio, ullam præstare obedientiam, Danum adversus illum instigans, satis aliàs huc propendentem, & Bergensem detestans Episcopum, quod regi adhæreret excommunicato, ac toties hæreseos condemnato.

Anno MCXCIX. Recruduit discordia inter Canutum, Dania regem, & Adolphum, Holfatiæ Comitem, quod hujus culpâ Danus, Lunenburgus non fuerit potitus, & Comes subsidium tulerit Valdemaro, Slesvicen-
sum Episcopo, Marchionique Brandenburgensium, non ita pridem contra Danos; velut etiam optimatum quosdam Holfaticorum proscripserit, qui hospitio in Dania suscepti, Regem adversus Comitem concitarunt. Quamobrem ille bellum Adolpho denunciat, & Valdemarus, Jutiæ dux australis, exercitum à fratre nactus, Holfatiam oppugnat, ac obvio Comite profligato, integram propemodum subjugat provinciam, demumque obsidet Hamburgum, ubi refugium Adolphus captaverat, & cives ad defensionem urbis, Holfatiæ dominis semper fidelissimæ, animaverat. Olaus in-

terea, Sueonum Archipræful, Romæ approbatus, modò Lundia per Absolonem initiatur.

Anno MCC. Valdemarus novus Holsatiæ dominus, vehementer impugnat Hamburgum, & Adolphus se illic minus fore securum animadvertens, inde profugit Stadium. Postea verò Dux, civitatem sibi deditam occupavit, & Lubecum protinus oppugnavit; Cujus etiam incolæ, privilegiorum adepti confirmationem, Danorum se imperio submiserunt, illique XXV annis obediverunt. Valdemarus autem prosequens victoriam, aliquot ditiones ac munitiones eripit Suerinensium Comiti, quod Adolpho fuisset opitulatus, indeque Dithmersiam invasit, nuper ab Adolpho Danis ablatam, & ipsam Jutiæ restituit, novo ab incolis juramento fidelitatis, ad calendas Novembris, accepto. Isto igitur brumæ initio, Valdemarus tot claris victoriis, cum insigni remeat triumpho Slesvicum. Adolphus cognito Valdemari reditu, exercitum sibi comparat, & Hamburgum oppugnat, fides pristina civium benevolentia. Nec spes ipsum fefellit; siquidem cives haud immemores, quod insignia suæ urbi, quondam Comes, privilegia à Friderico Cæsare impetrasset, Danico inde præsidio expulso, Adolphum intromittunt, civitatemque firmiter obmuniunt. Valdemarus porrò defectioni Hamburgensium indignatus, denuò illos obsidet, Adolphumque ibi præsentem eò redegit angustia, ut missis ad se legatis, sponderet, non hujus modò civitatis deditioem, sed etiam Lunenburgensium, si Hamburgensibus vellet defectionem condonare, sibi que liberam inde facere potestatem abeundi. Admisit, difficulter tamen, dux, Comitis petitionem; ea tamen lege, ut nisi Lunenburgum traderet, captivus fieret Danorum, istique subscripsit Adolphus conditioni.

Suercherus verò in Suecia pacificè dominans, & Olai Archipræfulis admonitioni obtemperans, edicto divulgato, clerum regni à foro liberum politico pronunciat, quem ad ecclesiasticum remittit tribunal cum suis adversariis. Illum præterea immunem reddit à qualibet regia exactione, hujusque prævaricatoribus statuti, æternam imprecatur maledictionem.

Sed isto in Islandia tempore, B. Jonas Holensium olim Episcopus, operâ Branderi successoris, in divos refertur.

Anno MCCI. Absolon, clarissimus Daniae Archiepiscopus, XXIII. Martii, extremum obiit diem, Soræ tumulum nactus, arroganti nimis epitaphio insignitum; sed viduâ donatus infulâ, secundum patris mortem Absolonis, doctissimus vir, Andreas, Canuti regis Archigrammatæus, Romam oratoribus transmissis, obtinet confirmationem electionis, & primatus Suetici, ab Innocentio III. subscriptionem, XXIII. Novembris, XIV. pariter Cardinalium sigillis approbatam.

Vitæ simul usurâ modò fuit privatus, vir multæ innocentia, Vilhelmus, conventus in Dania Ebbeholtensis, Abbas, illuc quondam ex cænobio apud Parisios, S. Genonevæ, per Absolonem vocatus, & post obitum plurimis à Deo signis illustratus. Superstes verò adhuc Petrus, Arhusiensium præful, ibi basilicam de solido perfectam lapide, S. Clementi Papæ dedicavit, & in Scania quidam optimatum, Oesvidense fabricavit Præmonstratensibus monasterium. Ingeburgis etiam Gallia regina, suam erga patriæ ecclesiam, declaraturâ pietatem & liberalitatem, Nicolao Slesvicensium præfuli in Francia constituto, non paucas donavit sanctorum reliquias, in Daniam perferendas.

Quando Valdemarus, Slesvicensis dux, cum Adolpho Comite sub Lunenburgum profectus, civitatem non obtinet, & quod Comes à suo illam præsidio non impetrasset ditionem, in pactis sub Hamburgo conven-

tis promissam, captivus in Daniam ablegatur, ac eadem Sœburgi custodia, quâ Valdemarus Episcopus, aliquandiu asservatur.

In Norvegia Suerro, cum triennio adversariis variâ esset fortunâ colluctatus, ipsos tandem intelligens in castro congregatos Tonsbergensi, illos arctissimâ ligat obsidione; Quam postquam XX. septimanis sustinuerunt, vehementissimâ compulsi fame, se castrumque victoris dedunt arbitrio; Quibus tamen rebellionem condonat. Sed cum Ingone, factionum rege, sicut etiam Erico & Nicolao, præsulibus, quid actum, in historiis non invenio; Quæ solum commemorant, cum victis clementer actum, & Suerronem in hac obsidione morbum contraxisse lethalem, ægrumque post castrum ditionem, fuisse Bergam deportatum.

Anno MCCII. Suerro Norvegiæ monarcha, VIII Martii, vitæ finem imponens, in ecclesia humatur Bergensi, postquam XXV. annis oppidò fuisset expertus, quantis regia esset dignitas periculis exposita. Hanc tamen capeffit Haquinus, Suerronis & Margaretæ filius, neposque ex hac regis Sueonum, Canuti, qui secundum parentationem, quando regnum, pro novi consuetudine regis, perlustraret, nobilem Sarbsburgi virginem, nomine Ingam, nonnullis procerum consciis, defloravit, illaque deinceps genuit Haquinum, regem Norvegiæ celeberrimum.

Valdemarus porrò, Slesvicensium princeps, fratris nomine dominium totius Nordalbingiæ adeptus, uxorem ducere constituit, & Ingeburgem nactus, ducis sororem Brunsvicensis, Vilhelmo, levirorum uni, suam vicissim germanam despondet, Adelheidam, nuptiis Hamburgi celebratis. His autem finitis, Hamburgo rex Canutus Lubecum profectus, illic ab incolis, & convocatis eò simul ordinibus, Holfatiæ, Stormariæ, Dithmersiæ, Vagriæ ac Megapoliæ, juramentum acceptat, præstatque fidelitatis. Inde domum remeat, ubi mortiferam protinus ægritudinem contraxit, quâ vitam finiit, XI. Decembris, non citra veneni suspicionem, Valdemaro fortassis cupido throni, procurante, propinati. Qui proinde obitum fratris in obsidione cognoscens Segebergensi, inde quantocyus in Daniam festinat, & cum sine liberis Canutus decessisset, regni sceptrum non difficulter ab ordinibus impetrat, quodque bellis esset fortunatus.

Nunc similiter vitam clauserat, illustrissimus Gothiæ heros, Birgerus Jerl, primus, inque cœnobio Alvastrænsi, cum uxore Birgitta, tumulo commendatur.

Anno MCCIII. Calendis Januariis, Haquinus, Norvegiæ rex, duris & immaturis nimium fatis abripitur, Guttormusque, fratre natus Sivardo, consequitur regni gubernaculum; Quod etiam ille subita compulsus morte, Ingoni, Suerronis de Cecilia nepoti, protinus assignavit. Sed legitimus illius hæres, eodem nascitur tempore, Haquinus, posthumus Haquini regis, ex Inga filius, quem Erlandus ab Husby, procerum unus Noricorum, velut cognatum, clam in suis per annum ædibus, liberaliter cum matre sustentavit. Valdemarus autem Daniæ rex, Lundia ornatus per Andream, regni primatem, diademate, Lubecum, Augusto mense, festinat, ubi ordines Nordalbingiæ denuò congregati, spondent ipsi fidelitatem; Ast Lubecenses, præter veterum confirmationem privilegiorum, novam in Scania negotiandi obtinent immunitatem, oppidò lucrosam.

Deinde Valdemarus sibi minus gloriosum existimans, quod cum tot subjugasset regiones & munitiones, Luneburgum verò non perdomuisset, omnibus id viribus impugnat. Itaque Lunenburgenses diutius oblectari non valentes, pactique liberationem Comitis dati Adolphi, &

propriæ securitatem vitæ ac bonorum, regi dedunt munitionem. Non tamen Comes prius libertati fuit restitutus, quam dominio Holfatæ se abdicasset, & X traditis obsidibus, literisque firmissimis promississet, se nec illam, vel Daniam amplius impugnaturum, sed in ditione sua Lovenburgensi, reliquum vitæ tranquillius transacturum, quibus laudabiliter steterat imposterum promissis. Interim Ericus, Noricorum Archiepiscopus, in fata concedit ultima, & Thorerus cathedram accedit Nidrosiensem.

Anno MCCIV. Ingeburgem regis Valdemari consortem, mors abrupta præmatura, nullos marito liberos linquentem. Saxo autem, Roschildensis præpositus, librorum elucubrationi, non liberorum procreationi, strenuam navans operam, suam de patria historiam hæcenus limatam, novo regni Archiepiscopo Andrea, nunc dedicavit; Quo præsul Romanus tempore, suis approbavit literis, ordinem in Livonia militum Teutonicorum, ipsi concedens jugiter possidendum, quicquid regionum à vicinis Schismaticis, vel Ethnicis, gladio occuparet, & habitum præscribens illi peculiarem, pallium nempe candidum, binis cancellatim positis, rubri pigmenti, ensibus, stellaque insignitum; Hujus fuerat ordinis primus Magister, prænobilis heros, Vinno; Quo cum igitur Danus mox fœdus percussit, de mutuo contra nationes barbaras ferendo subsidio.

Anno MCCV. Illustris vir Erlandus ab Husby, Haquinum modò anniculum, Nidrosiæ coram Ingone sistens, rege amitino, asserit verum Sueronis nepotem ex Haquino, & matrem Ingam, ferri candentis gestatione, illud paratam comprobare. Itaque Haquinus ingenti omnium gaudio, præsentium & absentium suscipitur, quem deinceps Haquinus Jerl, velut proximum regni hæredem, liberaliter ac regaliter educavit. Secus vero in Suecia, cum filiis Canuti procedit rex Suercherus; Nam regni sceptrum suis duntaxat liberis & posteris cupiens transmittere, Canuti filios, throni cohæredes, per summum scelus, in prædio jugulavit Eliarsensi, uno solum illorum, Erico, sicam evadente, inque Norvegiam profugiente; ubi biennio, in aula Ingonis consanguinei, moratur, interimque Sueonum populus, contra regem sicarium domi tumultuatur.

Valdemarus sibi quoque regni provisurus hæredes, Margaretam Johannis Bohemorum regis filiam, ob eximiam corporis elegantiam, Damor nuncupatam, ducit uxorem, nuptiis Lubeci celebratis. Deinde querelis cujusdam ex Megapolia viri nobilis, asserentis, se, quod fidus esset regi, velut domino supremo, à Suerinensium principibus esse proscriptum, rex ideo commotus, exercitu in illorum ditionem expedito, ipsam fœdè populatur.

Huic autem regi per familiaris, ob insignem vitæ sanctimoniam, fuit quidam in Dania presbyter, nomine Andreas, Slagelsensium parochus, de quo inter alia commemorant admiranda scriptores Danici, quod cum ille circa modernum seculi currentis tempus, à Hierosolymitana rediret peregrinatione, & nollet in Joppeni civitate prius navem conscendere, quam sacris interfuisset, comites, eo relicto, inde solvisse, & Andream in ecclesia obdormivisse, cumque evigilaret, se in Dania constitutum animadvertisse, multo ante sociorum illuc reditum tempore. Quod paradoxum arbitraret, nisi S. Athanasius in vita B. Antonii, per simile de quodam Hermogenenararet exemplum,

Anno MCCVI. Valdemarus Slesvicensium Episcopus, assiduâ Pontificis maximi, Margaretæ reginæ, & præsulum, procerumque Danicorum intercessione, ex XIV annorum vinculis illâ liberatur conditione, quod, fundis hæreditariis ad regium devolutis fiscum, patriam exilio se commutaturum perpetuo; nullibi terrarum Daniæ machinaturum detrimenta; nec

nec locis illi suspectis moraturum, literis, sigillis ac juramentis sanctè promiserit. Libertate sic donatus, ad Innocentium III. deducitur Romam, quod aliam ipsi episcopam spondisset. Post Valdemari porrò abitum, expedit rex suum in Prussiam exercitum, qui regione iterum subacta, in Livoniam properat domiturus rebelles Deo, & Valdemaro.

Ideoque propter ecclesiastica, huic adfuit militiæ Archipræsul Danorum, negotia. Verum supremus Sueciæ Antistes, Olaus, terrenâ perfunctus militiâ, ad pacem, requiemque nunc migravit sempiternam, galeam, vel potius infulam tradens Upsalensem, Valerio, quem Innocentius approbat, III. Decembris die, privilegiaque ecclesiæ confirmat. Nec Saxo, Danorum historicus suâ valens illustri facundiâ, prolixiorem â fatis obtinere vitam, illis modò succubuit, Roschildiæ nactus sepulturam.

Norvegia interim domesticis affligitur dissensionibus, quas unus optimatum, Gregorius Jarlsonius, commovit, se in australibus regni ditionibus pro rege venditans, illumque Ingonis bellatores, & Haquini trimuli fautores, aggressi, superarunt, atque vitâ privarunt.

Anno MCCVII. Presbyterium Bremense, orbatum Antistite, Valdemarum designat exulem, confidens illius auxilio, suam ecclesiam, Scandiæ dominam iterum futuram. Sed Hamburgenses, in gratiam Daniçi regis, tali adversantes electioni, Burchardum, Bremæ præpositum, nominant Episcopum, & suos regis legatis adjunctos, transmittunt Romam, quod ipsum faciunt quoque adversarii Bremeenses. Ab his porrò Valdemarus Bononiæ salutat, præsul lubens consensit, & Romam cum ipsis profectus, suæ dat operam confirmationi. Ast Innocentius, partium rationibus auditis, Burchardum approbat, ideoque Valdemarus indignans, clanculum inde profugit ad Philippum Cæsarem, pontificis hostem, â quo Bremam fuit introductus, perque Innocentium propterea sacris interdictus.

Valdemarus fulmen contemnens Romanum, episcopâ fruitur Bremensi, & recuperaturus Dithmersiam, comitatum Stadensem, atque civitatem Hamburgensem, Daniamque simul, auxilio Imperatoris Philippi, Comitum Suerinensium & Bremensium, impugnat, ac Stadensem occupat ditionem. Valdemarus Danorum rex, interea occupatus, in ferendis Ottoni, Brunsvicensium duci, affini, contra Philippum Cæsari designato, subsidii, partem defendere non potuit regionem. Nihilominus tamen Otto debellatus, in Daniam secessit, indeque in Angliam discessit.

Quando Ericus, Canuti filius, in Norvegia exulans, oportunitate ratus Suercherum, Sueciæ regem, â Dano cognato bellis alibi distento, parum auxilii habiturum, invadere, sororis Margaretæ, & Ingonis regis ope, illic mediocres acquirit cohortes; Atque cum his in patriam redeunti, se lubenter adjungunt Sueones, Suercheri hostes acerrimi, propter indignam nuper prolis regiæ cædem, & regem invadunt; A quibus profligatus, in Vestrogothia captat refugium, & Danorum ibi subsidium implorat.

Anno MCCVIII. illucescente, Suercherus, XVI. millibus armatorum ex Dania acceptis, â rege Valdemaro, Ebbone, focero, & hujus fratribus, Andrea Lundensi, ac Petro Roschildensi, præsulibus destinatis, quorum etiam ductores fuerant, Petrus, Ebbo, & frater Laurentius, istis Gothicas adjungit copias. Ericus autem Sueciæ & Norvegiæ stipatus cohortibus, prope Lætrensem Vestrogothiæ pagum, XXXI. Januarii, hostes excipit, tantamque illorum edit stragem, quanta rarò in Scandia contigit, quando cum plurimis commilitonum, Ebbo, Jacobus & Laurentius, germani fratres, occubuerunt. Sed rex Suercherus & Petrus episcopus, in Daniam profugerunt, ubi rex bienniò moratus, bellum in Sueones restauravit.

Æstatis deinde primordio, alter Valdemari exercitus in Megapoliā destinatus, Comitum ditionem Suerinensium, Bremensibus adhærentium, feliciter impugnavit, & vastavit. Quo tempore Philippus Imperator, minus fauste belligerans cum hostibus, cecidit, atque Otto nuper ex Anglia reversus, Romanum itaque capescit diadema. Valdemarus Bremensium præful, Cæsaris patrōni cæde intellectâ, suis diffidens rebus, cathedram deserit, Romanque pergit, illic veniam contumaciæ obsecrans, & aliam super episcopa provisionem, atque hanc non obtinens. Burchardus verò æmulus Valdemari, promotione novi Cæsaris, & Danici regis, ab Innocentio, Bremensem, Hamburgensemque impetrat, dioceses amplissimas.

Anno MCCIX. Claudius Valdemari apud Slesvicenses successor, Gulholmenſe transfert cœnobium ad Ryanum, Slesvico minus propinquum, nec monachis ad consueta tam oportuna flagitia, quæ, seducti à Slesvicensium nonnullis, quandoque perpetrarunt. Per id tempus tanto Lubecum conflagravit incendio, ut V solum in tota remanserint civitate ædificia, quibus rex misertus negotiatoribus, ipsis urbem restauraturis, aliquot concedit annorum, à solitis immunitatem censibus.

Anno MCCX. Suercherus thronum recuperaturus, ex Dania cum grandibus revertit copiis in Vestrogothiam, ubi juxta pugnae locum prioris, ab hostibus denuo impugnatus, XVII. Julii, cum sectatorum plurimis occumbit, & in cœnobio Alvaſtrenſi fuit tumultus. Quando etiam Folko Jerl, hostili cecidit gladio; aliique non pauci optimates, Erici militiam sectantes. Post cædem vero Suercheri, Suno Folchonis filius, claustrum violenter ingressus Vretensē Monialium, inde Helenam, mortui regis filiam, sub cura amitæ, illic officio antistitæ fungentis, velut loco tuto morantem, in absentia parentis, abduxit; Quæ in matrimonium ducta, genuit marito VII filias, quarum una cessit postmodum regio conjugio, prout cantio, hoc de raptu Helenæ pervetusta, testatur.

Ericus autem cæso adversario, ut securius Gothis, Suecisque dominaretur, pactum renovat vetus, suam & Suercheridum inter progeniem, quondam sancitum, spondens, hortatu procerum, sibi mortuo, filium Suercheri Johannem, in throno subrogandum. Eorundem quoque suasu, Danos sibi reconciliaturus, Richissam, Valdemari regis sororem, desponsavit, illique copulatus in Dania, quando Valdemarus regis filius, de fonte sacro, levaretur.

His nuptiis Comites Suerinenses, regis gratiæ, ob quorundam intercessionem restituti, suis filiis & Adolphi Comitis, hactenus in Dania obsides pro Adolpho agentibus, simul obtinuerunt libertatem. Secundum vero nuptiarum sollennia, Ericus cum uxore in Sueciam reversus, XV. Novembris, regia capeſſit insignia. Sed illius levir, Valdemarus, missō in Prussiam exercitu, incolas & ipsorum principem denuo sub jugum mittit.

Anno MCCXI. Valdemarus in Pomeraniam profectus, diruto Nienburgo, illic restauravit, firmavitque castrum Deminensē. Margareta confors interim domi genuit Valdemaro, Canutum.

Anno MCCXII. Mors abstulit Margaretam, & illam Ringstadii, Valdemarus lacrymis madescens, sepelivit.

Anno MCCXIII. Fridericus II. Henrico genitus Cæsare, & Constantia, Rogerii regis Siciliae filiâ, scepro imperii Romani potitur. Ita Normanni illustrissima Scandiorum progenies, ad supremum Europæ dominium, etiam caput extulerunt. Quorum in primæva patria, nempe Norvegia, modo Haquinus Jerl, naturæ debitum persolvit, &
rex

rex Ingo, Haquinum minorennem suscipit educandum. In Dania Valdemarus tertias adiit nuptias, Berengara, seu potius Bengela, Ferdinandi Comitis Flandrici, in matrimonium ductâ sorore; Cujus malitia etiam locum præbuit convitiis. Nam inde Scandii etiam hodiè fœminas naturæ acerbioris, vocant Bengelas. Illam tamen Valdemarus crebro dignatus amplexu, ex ipsa suscipit liberos, Ericum, Christophorum, & Abelem.

Anno MCCXIV. Valdemarus, pristinae familiaritatis & affinitatis cum Ottone imperatore oblitus, quod esset ab Innocentio sacris priuatus, throno spoliatus, & Fridericus illi subrogatus, illius desertâ amicitia, hujus amplexatur. Qui rogatus à Dano, suis illi confirmat literis, subjugatas in Nordalbingia ditiones. Illo regis successu compulsi Suerinensium Comites, novam ipsi spondent subjectionem, in hostesque fœderationem. Inde Valdemarus roboratus, regiones invadit Marchionis Brandenburgensis, & Stetinum, Mulensemque arcem, cum aliis tribus occupat, & victor remeat. Interea mortuo Bremensium Præsuli, Burchardo, Innocentius Gerhardum, Osnabryggensem Episcopum subrogat, quem Bremenses averfati, Valdemarum exulem revocarunt; Is proinde auxilio Cæsaris Ottonis, & Marchionis, Dano propter nuperam arcium subactionem infesti, cathedrâ iterum potitus, gravissimam Innocentii, Friderici Cæsaris, & Valdemari regis incurrit indignationem, maledictionemque, quos tamen infracto contempsit hostes animo.

Valdemarus porro, inprimis sumpturus vindictam de fautoribus episcopi, Stadenses impugnat, indeque profligatus ab Henrico Rheni Palatino, Daniam repetit. In Norvegia procerum quidam, ægrum sperantes Ingonem regem moriturum, gravem in senatu controversiam movent de successore, quibusdam Schulerum, Magni regis filium, aliis Haquinum, Suerronis nepotem, subrogandos contendentibus, quam Ingo diffensionem convalescens, diremit.

Anno MCCXV. Cæsar Otto graviter offensus regi Danorum, quod Innocentio & Frederico adhereret, nuperque Stadium oppugnasset, Hamburgum, advocatis in subsidium Henrico Palatino, Alberto Marchione, & Valdemaro Bremensium episcopo, obsedit, ac deditum imperio subdidit. Deinde novo firmat urbem præsidio, illincque migrat. Sed civitatem Danus recuperaturus, tentata iterum Stadii obsidione, ac vastatâ Palatini ditione hæreditariâ, cum grandi movit exercitu sub Hamburgum, quod binis impugnat castris, & tandem expugnat. Hinc ergo cum triumpho domum reversus, regni convocat ordines, & illorum suffragio, filium Valdemarum nominat successorem. Quando in Norvegia quidam Ingonis olores, Haquinum frustra stimulant ad movendum ipsi bellum; sed Lundia in Scania, modo campana illa, magnitudinis admirandæ, sua haud cedens mole Erfordiensis, fundebatur.

Anno MCCXVI. In comitiis Viborgi celebratis, denuò Valdemarus parenti successor declaratur, & alter ipsi filius nascitur, Ericus, quem deinceps frater, Abel, occidit, inter divos relatum. Ita verò regnum filios inter, Valdemarus II. divisit, quod primogenitus Valdemarus throno potiturus, Ericus Slesvicensem, & Canutus Lalandiæ, habituri essent ducatus, horumque patruus nothus, Claudius, Hallandiæ fruiturus esset comitatu. Quo tempore antistes Sielandiæ, Petrus, videns angelum evaginato gladio, ecclesiæ S. Lucii apud Roschildenses imminere, hanc regni divisionem filios inter regios, patriæ infortunatam fore vaticinatur; Ideoque cathedrâ relictâ, in Flandriam peregrinatur, ubi etiam postea moritur. Verum sororius Valdemari, Ericus, Sueonum clarissimus

mus monarcha ; fortunatissimusque nunc morte sublatus , paterno Varnhemie conditur monumento , & Johanni , filio Suercheri , sceptrum porrigitur . Illo autem gubernare incipiente , Curetes & Esthones , lacus Meleri accolas populabantur , à quibus Johannes Jerl , prima reditus sui nocte ex Ruffia vel Livonia , ubi IX. annis militiam sectatus fuerat , trucidatur ; atqui uxor piratas fugâ evadens , tumultuarium cogit militem , mariti cædem vindicatura , & hanc latronum cæcidit colluviem non procul à Stockholmia .

Hoc etiam currente anno , rex Noricorum Ingo , XXIII. Aprilis , in fata concessit , & ipsi Haquinus , procerum consensu secularium successit , non præsulum , qui progeniem detestantes Suerronis , velut apostatæ , maluerunt Schulerum , Magni regis filium , ad regni promovere solium . Sed nihil effecerunt , & ipsemet horum candidatus Schulerus , Comitis nactus titulum , regni que trientem , Haquini subscripsit electioni .

Anno MCCXVII. Haquinus alium nactus æmulum fuerat , qui regiâ se ortum Norvegiæ profapiâ , spargens , ditiones regni australes occupavit ; Quem Haquinus inde , auxilio nixus Schuleri , exturbavit . In Dania porro floruit pax , ubi Claudius Hallandiæ Comes , uxoris cupidus , Idam , Suerinensium principum sororem , ducit conjugem , & cum ipsa dotis nomine , semissem domini Suerinensis consequitur , annoque sequenti moritur .

Anno MCCXVIII. Danus de successore sollicitus , filium Valdemarum Hamburgi , XXIV. Junii , diademate ornandum voluit . Et festo inaugurationis transacto , Hamburgum , Alberto Comiti Orlemundensi , suo in Nordalbingia proregi , assignavit in feudum , inde L. annuatim libras argenti soluturo , subsidiumque Danis militare , quoties esset opus , laturo . Interim Johannes Sueonum rex , crebrâ laceffitus Esthonum incursione , sicut etiam Christianæ religionis , & Sueticæ dominationis propagandæ stimulat amore , modo Livoniam impugnavit . Et Vichensibus subactis , Lealensem absentis Hermanni præsulis arcem , violenter occupatam , suo milite firmavit , huicque subjugatæ regionis defensionem ; Ast Carolo , Lincopensium episcopo , illic cum plurimis sacerdotibus præsentem conversionem gentilium commendavit , & victor domum velificavit . Ubi depræhendit Rechiffam , Erici antecessoris conjugem , XIII. Maji de vita migrasse , in Ringstadiano , Daniæ cænobio , tumulum assecutam esse .

Anno MCCXIX. Valerius Sueciæ Archipræsul , mortem quoque subiit , & Olaus cognomento Basetema , infulam capeffit Upsalensem , à quo mox Gandefredus , ecclesiæ Præpositus , Romam pro confirmatione transmissus , illic S. Dominico persuasit , ut binos suorum sectatorum , Simonem Suecum , & Nicolaum Danum , ablegaret in Sueciam , Sigtoniæ commodum monasterii construendi locum , prope templum S. Petri , ubi ipsemet resideret , habituros . Norvegia etiam primæ orbata Torero , Guttormum Nidrosiæ consequitur antistitem . Approbato autem & initiato Sueonum Archiepiscopo , Johannes ab illo coronatur , qui festo inaugurationis suæ , non solum immunitatem à parente Suerchero indultam Clero confirmavit , sed etiam lites in fundis emergentes ecclesiasticis , ad episcoporum tribunal quaslibet ablegavit . Quando personis , Deo vacantibus , suam porro liberalitatem rex declaraturus , virginibus , cænobii Rifebergensis in Neritia , suum legavit hæredium Suensborg ; & Vretensibus sub peculiarem susceptis protectionem , prædium Chimstada , violenter illis ab altero quodam nuper ablatum , resignavit , hujusmodi transgredientibus donationes , Divinam & regiam comminans maledictionem , indignationemque .

Interea temporis Vichiæ ac Oeseliæ populus , de nupero Johannis in Sue-

Sueciam reditu factus certior, illius in castro præsidium Lealensi, adortur, & hujus ductore, cum universis commilitonibus, Episcopoque, cum presbyteris, ad internecionem deletis, velut etiam arce funditus dirutâ, ad idola convertitur. Quod ipsum facit plebecula Livoniæ Valdemaro subjecta, Danorum excutiens simul jugum; Quam proinde Danus ad pristinam revocaturus subjectionem, prægrandes in Esthoniâ adducit cohortes, illarumque adventu incolæ perculsi, Russos, Prussos, Lithuanos, & Curlandos, vocant in subsidium, atque in Christianos audacter festinant. Dani vero hostium territi multitudine, & ab Archiepiscopo moniti, Andrea, ut sponderent vitæ emendationem, & quod prævigilio S. Lurentii quotannis, in perpetuum omnis Daniæ populus, in pane cum aqua esset jejunaturus. Ac potissimum Valdemarus rogatus, ut promitteret semunera S. Claudio Arhusiæ oblata, sub prætextu cognationis cum ipso, posthac non direpturum, nec amplius iniquo Berengaræ suasu miserum regni populum tantopere esse afficturum, salutari obtemperat admonitioni, cæterique, & in genua omnis exercitus provolutus, his de rebus votum Deo nuncupat. Inde surgentes ac gentiles invadentes, prælato vexillo rubea cruce signato, quod non cœlitus nunc demissum, sed Româ prius transmissum, Daniæ Regibus contra Ethnicos belligeraturis, stupendam ex adversariis reportant victoriam. Verum bello fervente, Archiepiscopus in propinquo, manibus ad cœlum protensis, orabat monticulo, ferturque quoties ille manus submitteret, toties hostem prævaluisse. Ideoque ne subsiderent defessa senis brachia, & sic victoriam Christiani amitterent, à binis comitum fuisse suffulta, non absque admirando pugnantium successu Danorum.

Deinde rex pro tantâ superis se gratum præbiturus victoriâ (quam eo reportavit spacio, quo postea civitas fundata, & à victoris nomine, Volmar, est vocata) sedulum convertit animum ad Paganorum conversionem; Ecclesiarum constructionem; Episcopatum Revaliæ, Derpati & apud Curlandos, institutionem, harumque Præsules, Lundensi subjectos Archiepiscopo, in senatum Daniæ adoptavit. Pro illorum defensione, ac populi subjecti, non paucas ibi fabricavit munitiones, & simul decrevit unam quotannis militarem illic expeditionem. Demum relicto illic Andrea, regni Primate, in Daniam rediit triumphans.

Anno MCCXX. Calendis Aprilis, mors Danicæ gentis compatiens ærumnis, Bengerdem, illius flagellum, clementer sustulit, Ringstadii tumultatam; Quando Henricus, Suerinensium Comes Hierosolymam abiturus, tutelæ Valdemari senioris commendavit uxorem. Sed illam rex viduus, suo etiam toro dignatus, se, patriamque, innumeris exponit calamitatibus, & sorte mutatâ, qui prius erat fortunatissimus, infelicissimus deinceps censebatur. Porrò Suecia se faustam arbitrabatur, quod modo novi ordinis monastici à S. Dominico nuper instituti, particeps evasisset; Nam Simon Suecus, & Nicolaus Danus, juxta petitionem Gandefredi, Upsalensis Præpositi, in Sueoniam transmissi, non tamen Sigtoniæ, ab Olao Archiepiscopo præfule admissi, ex munificentia Canuti, Folchungorum nobilissimi, haud minus commodum in Schogensi prædio nanciscuntur domicilium, in Scandia hujus ordinis primum quod biennio incoluerunt.

Anno MCCXXI. Honorius III. Clerum Daniæ cælibem redditurus, Gregorium à Crescentia, Cardinalem, illic transmisit legatum; Is autem crebris, hoc de negotio, habitis cum regni presbyterio colloquiis, illius offensum contumaciâ, ad generale totius orbis Concilium provocantis, synodum Slesvici provincialem, Calendis Novemb. celebrat, & ut Cle-

rum à matrimonio aliqua saltem ratione deterreret, illic publicato edicto, liberos sacerdotum pronunciat exhæredes. Adduxerat ille secum in Daniam, nonnullos ex prædicatorio Monachos ordine, ab Honorio & S. Dominico, Regi, Archiepiscopoque, commendatos, quorum unus Salomon nomine, natus Arhusiæ, fuerat interpres legati. Quamobrem Valdemarus & Andreas, illa commendatione, & nova Gregorii intercessionecommoti, Lundiæ Scanorum, his fabricarunt hospitibus cœnobium. Quibus in Dania transactis, Gregorium, in Sueciam & Norvegiam, reor commigrasse, cleroque eadem summi Pontificis mandata inculcasse, nec aliud ibi, quam in Dania, responsum reportasse.

Anno MCCXXII. Schogenses in Suecia Monachi, audito sociorum in Daniam adventu, non contenti Suecicâ mansione, Lundiam migrarunt; Ubi Simon, contubernalium suffragiis, præses novi conventus designatur, indeque postmodum iste per Scandiam ordo propagatur; sicut etiam in Livoniam, in qua hoc tempore, Revalia primum sortitur exordium, à Valdemaro fundata, quæ in hujus memoriam beneficii, pro insignibus, ternos Danorum leones, hodie usurpat.

Funestus autem Sueonibus præsens fuerat annus; Siquidem integerrimum illorum regem Johannem, XI. Maji die, in primo juventutis flore constitutum, sustulerit, quem patria lacrymis madida, in ecclesia deposuit Alvastrænsi. Secundum vero exequias, orbem scandit thronum Ericus, priore genitus Erico, qui Folchungos sceptro inhiantes, sibi devincturus, Canuto illorum primario, heroi procero & facundo, Helenam; eorundem contribuli, magnifico viro, Nicolao à Tofta, Meretam, à qua genus, familia regum Sueticorum moderna, traducit illustrissimum; Et Ingeburgem, perillustri Domino Birgero Jerl II. Canuti agnato, sorores germanas tradidit uxores. Ipsemet verò cognatam sororum, Catharinam, filiam Sunonis Folchungi, & neptem regis Suercheri, ex Helena, violenter quondam de cœnobio abducta Vretenfi, adscivit conjugem, ut inviolabilem cum æmulis contraheret amicitiam; sed opinioni haud respondit eventus. Etenim Rex pacis amantissimus, modicum hac affinitate apud plerosque illorum profecerat, dominandi cupidissimos, excepto Birgero Jerl, qui leviro semper permansit fidelissimus.

Interea Dani, conjunctis cum ordine Crucigerorum armis, per brumam hujus anni, gentiles Livoniæ impugnarunt, quorum plurimos, Thuvo, Ripensium præsul, Christo initiavit, & propter reliquorum incursiones nuper Revalia conditur, ubi Valdemarus Danorum rex, juvenis adfuit, totique bello præfuit. Hinc autem Archipræsul dudum reversus est in patriam, qui, XVI Junii, Canonicorum assignavit Collegio jus, ad Lundensem basilicam, patronatus.

Anno MCCXXIII. Suis Andreas magis liberalem se præbuit Assessõribus, decernens, ut quælibet ad summam Ecclesiæ Cathedralis aram oblata munera, iisdem cederent imposterum dividenda. Nunc etiam Henricus, Suerinensium Comes, de votiva reversus peregrinatione, intellectum regis Valdemari scelus, in sua absentia cum uxore perpetratum, callidè dissimulat, & in Daniam profectus, se magis ipsi insinuat, ac denique Regem in venatione constitutum, satellitibusque destitutum, IX Maji, cum filio Valdemaro, captivum abducit Suerinum, ubi quadriennio in arctissima detinetur uterque custodia.

Anno MCCXXIV. Fridericus Imperator, à Danorum præfulibus, & proceribus crebrò rogatus, suadet, Henrico Suerinensium Comiti, Regum liberationem, præcisè abnuerit, nisi Valdemarus dominio Nordalbingiæ, &

& Vandalia vellet penitus se abdicare, quod ille recusavit. Quamobrem Henricus, inito fœdere cum Adolpho, Schovenburgensium Comite, parentis captivationem vindicare, atque Holsatiam recuperare cupiente, aliisque principibus finitimis, Danorum potentiam ac insolentiam detestantibus, Holsatiam impugnat; Albertum illius proregem captivat, profligatum; Hamburgum occupat, & Holsatiam subjugat, Adolpho restitutam commilitoni.

Nec huic indormiunt occasione quidam alii principes, cum duces Pomeraniae, Rugiam; alii ditiones Danorum, in occidua Vandalia; Suantopolchus, Prussiae Dynasta, Dantiscum; & Crucigeri, Revaliam, Estoniamque Danis universam subduxerint. Ita victoriosi regis, fortunataeque prius gentis Danicae, fortuna nimium labascit! Haecenus quoque Haquinum, Norvegiae regem, Schulerus Jerl, regni Episcopus ad se pertractis, per insidias frequentes subvertere fuerat machinatus, atque ut molitio successum obtineret speratum, falso divulgavit, adversarium, Suerronis non esse nepotem; Quem idcirco Inga, mater Haquini, portato citra nocumentum ferro ignito, veraciter confutavit. Interim Andreas, Daniae Archipræsul, quod leprae infectus esset contagio, cathedram resignat Lundensem, quam Petrus, Roschildensis Præpositus, vir multae eruditionis, & filius, ut quidam non probabiliter sentiunt, Saxonis historici, acceptat, mox inauguratus.

Anno MCCXXV. Norvegus animadvertens Schulerum nihilominus, aliosque binos regni competitores, suam machinari subversionem, indicit Bergae comitia frequentissima; In quibus post varias alterationes, sceptrum Haquino, per latam ab omnibus Norvegiae nomophylacibus sententiam, & à reliquis ordinibus approbatam, adjudicatur. Cupiens tamen Haquinus sibi Schulerum reconciliare, & stabilem cum ipso contrahere amicitiam, filiâ illius Margaretâ desponsatâ, trientem ex Norvegia proventuum annuorum socero futuro, confirmavit. Quare domi rebus pacatis, Vermelandos Sueciae populos infestat Haquinus, quod profugos ex Norvegia foverent. Atque Ericus, Sueonum rex, non raro admonitus, transfugas indè haud profligasset.

Per id tempus in Suecia, Canutus Folkungus, cœnobium in Uplandia Schogense, pro Monialibus ex ordine Cistertiensium erexit; Quod seculi procurfû, impensis Birgeri à Finstad, propius aquas Meleri fuerat translatum; Ericus quoque rex ecclesiasticis pariter intentus rebus, ita decimas annuatim in regno provenientes partitur, ut portio illarum una cederet ecclesiae, altera hujus parochio, & tertia Episcopo, collegisque.

Anno MCCXXVI. Emeritus Lundensium præsul, Andreas, religione in Deum, & morbi contagione motus, solitariam agit vitam, in prædio Lundensis ecclesiae, Ifwœ, ubi non paucis innotuit miraculis illius sanctimonia; Quorum illud potissimum, quod cum semel in prævigilio Theophaniae, modica ipsius familia hilarior esset, vinumque ipsi deesse Antistes cognosceret, binis curavit vicibus, per unum servitorum, aquam ex fonte allatam vicino, familiae proponi, quæ in generosissimum conversa vinum depræhenditur. Idem eodem vespere missus tertia vice ad fontem, contra mandatum Præsulis, haustam gustat aquam in itinere, & non transmutatam convivis apportat; Ideoque ab Episcopo propter curiositatem & incredulitatem, graviter fuit repræhensus.

Haquinus autem Norvegiae rex, modò securior de throni possessione, quod Schulerum sibi amicasset, ac æmulos ex Vermelandia nuper fugasset, præter Canutum Jerl, qui auxilio Vermelandorum tutus ibi remanserat, Bergae nuptiarum peragit festivitatem, cum Margareta, Schuleri fi-

lia. Verum Sueciæ rex Ericus, cladem Vermelandiæ illatam compensaturus, & Canutum Jerl ad solium Norvegiæ promoturus, interea cum ipso Vichiam invadit, obvium habens Haquinum; Quos inter iis pax legibus restauratur, quod Canutus, Ingridem, alteram Schuleri filiam, regni-que habiturus esset portionem.

Conradus Masoviæ princeps, ethnicos Prussiæ incolas nec Christo, nec sibimet valens subjugare, Crucigeros Livoniæ ad istud vocat commilitium, partem regionis in præmium consecuturos. Nec illam respuunt militiam, quod ex voto etiam ad ipsam obligarentur, hostibusque profra-ctis, fertilissima potiuntur ditio. In Nordalbingia porro, Dithmersi regis infortunio animati, Danis ibi gubernatoribus, bellum inferunt; sed produx Jutiæ australis, congressus rebellibus, multis illorum trucidatis, reliquos ad pristinam compellit subjectionem. Neque interim Senatus Daniæ, à promovenda regum liberatione destitit, & tantum denique assiduo conatu præstitit, ut Valdemarus senior, Adolpho Holsatiâ resignatâ; injuriâ captivationis Henrico condonatâ, & XLV millibus, librarum argenti præterea illi numeratis; dote Claudii Comitæ Hallandici maternâ, juste minus in his computatâ, relaxatâque Suerinensibus, & binis filiis pro executione promissorum, loco obsidum, Henrico assignatis, atque simul horrendis juramentis ac literarum firmamentis datis, XXI Decemb. pristinâ donaretur libertate.

Anno MCCXXVII. Lubecenses sibi reputantes ignominiosum, quod jugo adhuc Danorum subessent, à finitimis excussum populis, obtentâ per legatos privilegiorum à Cæsare confirmatione, se imperio iterum Romano subdiderunt, & fœdus contra Danum cum vicinis principibus percusserunt; Quibus insuper sub obedientia mandavit Imperator, ut Lubecensibus in necessitate omnino ferrent subsidium. Itaque cum illi secretò rebus hoc pacto suis prospexissent, Castellatum urbis Danum fraude captivant, acropolimque, Calendis Majis, occupant. Valdemarus porro tot urbium & regionum defectione, sua captivatione, ac extorta violenter ante liberationem obligatione, commotus, Honorio III sua manifestat quantocyus, per oratores Romam expeditos, gravamina, absolutionem à juramentis Henrico præstitis flagitat, istâque impetratâ, Holsatiam cum immenso ingreditur exercitu, & obviis congregitur, XXII Julii, Lubecensium copiis, Holsatos, Bremenses, Suerinenses, Oldenburgenses, Saxones & Megapolenses, secum adducentibus commilitones. Proinde acerrima oritur utrinque pugna, in qua demum Lubecenses, non solum defectione ab hostibus adjuti Dithmersorum, sed etiam cœlitus opem adversus regem consecuti perfidum, victores evaserunt. Atqui Valdemarus uno oculorum, & plurimis hominum millibus amissis, secundam difficulter effugit captivationem; In quam tamen primarius commilitonum, Otto, Dux Lunenburgensium, & Thuvo, Ripensium Episcopus, cum aliis optimatum Danicorum non paucis, inciderunt. Lubecenses verò pro tantâ se gratos victoriâ Deo Optimo, Maximo, & S. Mariæ Magdalenæ, cujus precibus à divina Majestate illam se obtinuisse crediderunt, quod festo ipsius contigerit, & prælio fervente, in sublimi apparens aëre, solis ardorem sua umbrâ Lubecensibus mitigaverit, præbituri, ex castro urbis diruto, cœnobium, de vocabulo Divæ appellatum, fabricarunt, & anniversariam hujus victoriæ memoriam, sacrorum celebratione, ac eleemosynarum distributione, quamdiu vetus ibi floruisse religio, recoluerunt.

Anno MCCXXVIII, Valdemarus nuperi oblitus discriminis, ac certaminis, vel potius illum cupidus vindicandi despectum, & Ottonem, Lunenburgensium principem, sororis filium avidus liberandi, sicut etiam

Dithmersos, propter illam ad hostes defectionem, desiderans mulctare, in primis Holfatiam armis impetit. Sed Adolpho, sociis agminibus stipato, in occursum veniente, in Dithmersiam signa convertit, ipsaque pro meritis castigata, in Holfatiam revertit, quam praesidio destitutam non minus afflixit, & cum advolante tandem hostium exercitu conflixit non satis feliciter. Quare Daniam festinus repetit, ut majoribus cumulatis domiciliis, hosticum denuo invaderet. Illam vero timentes molitionem Adolphus, Henricus, & Lubecensis Senatus, literis arguunt Albertum, Saxoniae Ducem, quod per hanc non subduceret occasionem Danis, arces urbesque, suo per illos ducatu quondam ablatas, ipsum hortantes ad impugnationem Valdemari, subsidiumque promittentes. Albertus hinc instigatus, auxilio ab istis accepto Danorum hostibus, Razeburgum, & Mollam recuperat, Louenburgumque oppugnat diutius, quod demum occupat deditum; Quoniam Alberto Comiti Orlemundensi, Lovenburgensium Domino, liberationem ex diutinis promississet vinculis.

Quando autem hostis Lovenburgo fuit intentus expugnando, tertium irrupit Valdemarus in Holfatiam, ut adversarii Lovenburgensem defererent obsidionem. Verum spe sua frustratus, hosticum spoliatur, & manibus onustus remeat; tumque a Lovenburgensibus super deditioe castris interrogatus, illi consentit, ut Albertus Comes, liber ex custodia evaderet. Nec multo post tempore, fuit Otto Lünenburgensium Dux restitutus quoque libertati, prius tamen Saxoni, cogitur ditionem quandam resignare. Interim Andreas, XXIV Junii, & Petrus, X Julii die, Lundensium antistites, mortem obierunt, hisque Uffo in cathedra subrogatur. Andreas quidem praeter aliarum cognitionem artium liberalium, insignis fuit Poeta, ut non obscuro sunt nobis argumento volumina duo, quae heroico conscripsit metro, de praecipuis fidei Christianae articulis, & VII Ecclesiae sacramentis Catholicae, hodieque visuntur Lundiae Scanorum.

Anno MCCXXIX. Olaus, Sueonum primarius antistes, XIX Martii, mundo valedixit; Prout etiam Guttormus, Norvegiae Archiepiscopus, & illi Upsaliae fuit substitutus Ulpho, huic autem Petrus Nidrosiae. Sed Valdemarus, quondam infortunatus, Bremensium praesul, nunc fortunae inconstantiam perosus, Leodii apud Belgas, monasticum vivendi genus amplexatur; Quo tempore, Vilhelmus Mutinensis, legatus Honorii III, constitutus in Scondia, Dominicanis impetrat monachis, Revaliae a Valdemaro rege, domicilium. Idem quoque monarcha Danorum, sponsam Valdemaro obtinet filio Eleonoram, regis filiam Portugalliae, & horum nuptias, XXIV Junii, Ripae celebravit; Ubi Adolphus Holfatiae Comes, in gratiam, amicitiamque cum Dano rediit, illi quoties necessitas postularet, CC meriturus pro salario equitibus; ast CCC a rege vicissim habiturus. Contra vero accidit in Suecia; quandoquidem gliscens haec hactenus discensionis flamma, inter Ericum regem & Folchungos, modo in manifestum proruperit incendium; Nam hi, contempto illo, quod balbus & subclaudus esset, suum moliuntur Canutum, ad regni sublimare fastigium. Ideoque cum rege congregiuntur in Olustrum, qui ab hostibus superatus, in Daniam ad Valdemarum properavit avunculum, suppetias postulatum. Verum Norvegus hujusmodi turbis liber domesticis, cognoscens Scotos insularibus sui regni populis, & potissimum Sudorensibus esse infestos, XX navium classem illuc expedit, quae hostibus debellatis, victoriam, gloriamque reportat.

Anno MCCXXX. Ericus, auxiliares in Dania copias nactus, in Sueciam animosus regreditur, ibique plures multo adeptus, obvios sub Sparrefetra, Folchungos devicit, primariis illorum in pugna occumbentibus,

bus, quos inter ipsemet fuerat Canutus, sceptro nuper, nunc feretro honoratus. Atqui Hollingerus, illius achates, ex prælio dilapsus in Heltingiam, reducitur, capiteque, rebellionis ergo, plexus, in cœnobio virginum Schogensi sepelitur, ubi fertur in testimonium innocentiae, signis emicuisse. Sub hoc in Suecia tumultu, in Daniam advenit Otto, Pontificis maximi legatus, qui bonorum expilatores ecclesiasticorum ferit anathemate; Quando ibidem pestis hominum, pecorumque sævissima grassabatur.

Anno MCCXXXI. Eleonora, Regis Danici nurus, XIII Maji, in puerperio, & hujus maritus Valdemarus, XXVIII Novembris, in venatione, fortuito per servitorem telo missili vulneratus, animas exhalarunt, quos rex pater, Danique omnes mœstissimi humarunt Ringstadii. Nec paucis deinceps annis Valdemarus senior supervixerat, qui totus interim pietati ac tranquillitati deditus, nullis molestat Danos contributionibus, ut neque hostes infestat. Junone autem propitia magis, uxor Haquini Margaretha puerperio in Norvegia fuit perfuncta, quæ modò filium genuit Haquinum, parenti cognominem, & immenso patriam gaudio complevit. Quod tamen obitus Petri Archipræsulis nonnulla confudit tristitia, quam tamen dispulit Thorerus II. infulâ potitus Nidrosiensis.

Anno MCCXXXII. In festo sacratissimæ Pentecostes, Ericus, Valdemari secundo genitus, Lundia regalia capeffit insignia, ab Uffone Archiepiscopo solenniter collata. Quando etiam reliquis Valdemarus filiis de novo provisurus, Abeli Jutiam australem, Christophero Lolandiam, & Canuto Blechingiam, contulit in feudum, simulque inter ipsos bona divisit hæreditaria, ne post suum illi obitum, occasionem haberent vel minimam corrixandi; secus tamen, prò dolor, accidit, cum gravissimo patriæ detrimento. Præterea hujus anni sub curriculo, Monachi Franciscani, Lubeco in Daniam primùm translati, mansiones Lundia, ac Ripæ consequuntur, indeque per Scandiam deinceps propagantur.

Anno MCCXXXIII. Valdemarus cœpit moliri totius Estonia recuperationem; Ideoque Crucigeri suis metuentes partibus, Magistro sui ordinis in Prussia se submiserunt, ut inde subsidium à Danis impugnati nanciscerentur. In Norvegia filiam Haquino Christinam, enixa fuit Margareta, non minus acceptam, quàm nuper filius Haquinus.

Anno MCCXXXIV. Thorerus, Norvegiæ Primas, de numero vivorum sublatus, pedum Sivardo commendat, qui synodo indicta provinciali, præter alia in hac tractata ecclesiæ negotia, statuit, ut festum Reliquiarum, Nidrosiæ prostantium, XIII Octobris, celebraretur. Eandem porrò mortis semitam ingressus, cum Thorero, Præsul Upsalensium, Ulpho, muneris lampadem tradit Jerlero, Dominicanæ familiæ Monacho; Qui propterea huic ordini addictior, quàm antecessores, illi cœnobium condidit Sigtoniæ, & aliud, instinctu Archiepiscopi, Rex Scheningiæ, velut etiam Calmaria, fabricavit. Ast quod Lundia pridem his religiosis viris erat fundatum, nunc flammis, cum templo illic cathedrali, urbeque totâ devastatur. Deinde cum Livones, quoad politicum regimen, anno priori se Prussis subdidissent, isto vicissim Pruteni, ecclesiastico Rigensis Archiepiscopi se imperio substernunt, agnoscuntque, IV Prussia Antistites, illum dignitate superiorem.

Annum circa MCCXXXV. Ericus Sueonum rex, Stenardo, Scarenfium Præsuli, cognato suo, non tantum roborat privilegia, à Suerchero & Johanne donata; sed etiam ut adulterii & perjurii causas, cum aliis quibuscunq; ad religionis sacræ violationem spectantibus, vigore Canonum Ecclesiasticorum, ad episcopi pertinerent forum, mandat. In Flandria Leodii,

turbulentam vitæ clauferat tragædiam Valdemarus, quondam Slesvicen-
fis, & postmodum Bremensis, Episcopus. Verum rex Valdemarus eo
temporis curriculo, per legatos questus apud Gregorium IX. & Fride-
ricum Imperatorem de Crucigeris, nullo Estoniam jure possidentibus, &
utriusque impetrat mandatum, quo jubentur illam Dano restituere, quod
ipse, antecessoresque Estonum subactioni & conversioni, plurimum labo-
ris diu impendissent; Nihilominus tamen triennio differunt resignatio-
nem. Præfulum simul Danicorum oratores in Latio constituti, bullam
obtinent Gregorii Perusiæ, quâ inuasores & expilatores Ecclesiarum; de-
cimas solvere abnuentes; legataque clero testamenta retinentes; nec præ-
missâ admonitione, semet emendant, Sathanæ tradit potestati.

Anno MCCXXXVI. Desolatam Ostrogothiæ monasterium, Byar-
mense, & conventus Virginum, translatum ad Schogensæ Uplandorum. Tum
etiam temporis, in Dania Franciscani habitaculum, Suinburgi & Ran-
dersii impetrarunt. Sed in Norvegia Haquinus, socero Schulero hono-
rem, istic hæctenus inusitatum, contulit Ducalem, frustra existimans,
ipsum deinceps ambitionem throni deserturum.

Anno MCCXXXVII. Siquidem indè magis elatus, & Danorum a-
micitiam inflatus, legitime proscriptos à genero, contumaciter defendit,
regios sibi arrogat honores, & Haquinum, his reluctanter machina-
tionibus, morti destinat, opeque Danica, ipsum bello profligat Schano-
rensi. Abel similiter Slesvicensium Dux, regiam Erico fratri invidens
dignitatem, ut aliquando suppetiis exterorum principum orbaret, ho-
noreque ipsum tanto privaret, idcirco Adolphi, Holfatorum Comitis fi-
liam Megtildem, contra parentis voluntatem, ducit uxorem. Ericus au-
tem fraudis non ignarus, ut suis vicissim rebus provideret, Juditham
sibi desponsat, Alberti, Brunsvicensium filiam principis. Illaque duo
connubia, & præsertim Holfaticum, non minus attulit infertunii Da-
nis, quam raptus olim Helenæ, Trojanis.

Anno MCCXXXVIII. Postquam Valdemarus triennio frustra ex-
pectasset Pontificiæ executionem sententiæ, ac Estoniæ restitutionem,
in contumaces parat arma Crucigeros, & Gregorius IX. suum ad ipsos
legatum destinat Vilhelmum Mutinensem. Isto autem sequestro, pax ut-
rinque, IX Maji, restauratur, quando Estoniæ consentientes, subscriben-
tesque resignationi milites Crucigeri, dono Jerviam consequuntur, sub-
fidiaque illis contra gentiles eâ lege promittuntur, quod ex captis ab
hoste ditionibus, trientem duntaxat capefferet ordinis Magister, & re-
liquum Danis cederet commilitonibus. Hujus itaque transactionis vi-
gore, Valdemarus, mense Julio, Revaliam cum Estonia recuperat, & co-
pias submittit auxiliaries Crucigeris, quas Abel ejus ducebat filius, il-
larumque adminiculo, Isseburgum, Derpatum atque Plescoviam, Moscho
eripiunt. Sed prius tulit Valdemarus opem Adolpho, Holfatorum Co-
miti; Etenim ipse Lubecensibus succensens, quod pristinum sibi nol-
lent tributum persolvere, auxilio Dani, Lubecensibus, ob defectionem
non minus offensi, terrâ, marique ipsos oppugnat, ductâ etiam per
Thravam catenâ; Quam cum obsessorum classis, peregrè domum rever-
tens, rupisset, videntes Dani & Holfati, propterea nullam urbis expu-
gnandæ spem amplius affulgere, deserunt obsidionem. Inde mundanam
Comes Adolphus, omninò perosus militiam, amplectitur monasticam, in
cœnobio Minorum suscipiens Hamburgi, XIII Augusti, cucillum.

Conventus in Dania Eschilstunensis, normam vivendi à S. Augu-
stino sequens præscriptam, ob domicili angustiam, ad Ebbholtium de-
migravit; Et Tycho, Slesvicensium Episcopus, claustrum Holmensi pri-
vile-

vilegia roboravit. Porro Norvegia, bello adhuc flagrat intestino, & Haquinus, Schulerum per alpes Aslogiam versus festinantem, per Canutum Jerl, aggressus, profligatur, victorque urbem cum triumpho ingressus, Rex ab incolis & accolis salutatur.

Anno MCCXXXIX. Mense Februario, Haquinus cum XL. navium classe, Nidrosiam festinat, illic ratus Schulerum morari, & cognitâ suorum clade, ibi ordines convocat, à quibus filius octennis, Haquinus, parenti successor approbatur. Postea cum exercitu Haquinus Bergam reversus, indeque Aslogiam progressus, Schulerum in diluculo invadit, qui potissimo illic milite amisso, præsubitâ cum reliquis evadit fugâ copiis Nidrosiam; Illum verò cohortes regis infecutæ, denudò ipsum Nidrosiæ fugarunt, sylvarum latebras petentem; ex quibus post biduum pallio indutus monachali, ad Elgefeter, propinquum urbi cœnobium, digreditur; quod ideò ab hostibus incenditur; Schulerusque inde producit, & occisus Nidrosiæ, sepulchro ibi traditur. Haquinus circa festivitatem Pentecostes, istâ potitus victoriâ, pacem regno diuturnam restituit, & tantopere domi, forisque inclaruit, ut etiam Fridericus ipsemet, Romanorum augustus, illius ambiverit amicitiam, & voti factus compos, illam multis coluerit beneficiis. Nam præter alia, cum inaudivisset Imperator, ipsum armis Lubecensium impeti, non amico solum hostes reconciliat, sed illorum pariter Norvego dominium præsentat, quod Haquinus recusat.

Atqui Valdemarus interea domi leges condit Jutiæ, quas in ordinum Vordingsburgi conventu promulgat, ab illis approbatas; Et foris, nimirum Revaliæ prius inchoatam, hætenusque ob bellum prorogatam, consummat Episcopæ foundationem, quam Torchillus primum consequitur Antistes. In Gothia vero Helena, Suercheri filia regis, consensu mariti Sunonis, contubernio Alvastrensium amplissimos in Visingana sitos insulâ, Gum & Torp, fundos donavit.

Anno MCCXL. Valdemarus Torchillo, Revaliensium Præfuli, non minores, XV Septembris, legavit fundos, ad Episcopæ dotem spectantes; Quando Ripa Jutiæ, cum urbis insigni basilica conflagravit.

Anno MCCXLI. Calendis Januariis, Roschildiæ suo Valdemarus nepoti, Comiti Claudio, borealem assignavit Hallandiam, quam hæreditario esset jure, perpetuoque usurpaturus, in compensationem Suerini, quod in regium fuit lytrum olim conversum. Sed Ericus, Valdemari filius, de alio magis sollicitus lytro, VII Julii, voto se obstrinxit, quod Roschildiæ in habitu vellet monastico post obitum sepeliri, illumque protinus comparatum, illic cistâ probè obseratâ, conservavit; Et claustro propterea munus eximium donavit, nec tamen illic hujusmodi sepulturam deinceps, velut procurfus historiæ testatur, impetravit.

Anno MCCXLII. Illustrissimus Danorum rex, Valdemarus, XXVIII Martii, mortis succubuit imperio, & filius Ericus, regni gubernaculum adeptus, haud negligendam sibi oblatam existimat occasionem, Nordalbingiam atque Vagriam recuperandi; Quod Adolphus Comes monasticen esset professus; Johannes & Gerhardus, filii, in Gallia studiorum gratia modò abessent; fraterque Abel horum tutor, non minus foret animatus fortassis, & obligatus, ad vindicandum patris despectum, toties ab Holfatis ac fœderatis illatum, atque regiones olim patriæ subductas, repetendum. Quocirca suum manifestat Abeli consilium, qui ab osoribus Danorum molitionem Regis subodorantium, diffusus, Erico in Holfatiam abnuit subsidium; Ideoque nonnihil ab illo molestatus, cum Lubecensibus, Bremensibus, Holfatis & Megapolensibus, in fratrem percutit fœ-

us; Non tamen Ericus, hostium tantam formidans potentiam, cum exercitu non spernendo Holfatiam versus properat, illique sub Coldinga, sociis Abel stipatus cohortibus occurrens, ante conflictum fratri reconciliatur, promisso sancte facto, quod leviris domum mox revocatis Holfatiam assignaturus; ipsorum tutelâ se abdicaturus, fidusque patriæ imposterum esset futurus. Simul etiam Abelis commilitones, & præsertim Suerinenses, gratiam Regis obtinuerunt, sicque fraternæ aliquantum rixæ quieverunt, & Comites Holfatiæ, Octobri mense, domum regressi, provinciæ gubernationem ipsimet susceperunt. Magis proinde quam Mars, in Dania Vulcanus grassatur, utpote qui Roschildiam, Ripam & Ringstadium, fœdè nunc vastaverat.

Anno MCCXLIII. Flammi similiter cœnobium in Fionia Holmense absumitur, quando Adolphus Hamburgi monachus ex suo profectus asceterio Romam, ab Innocentio IV. sacerdotium impetravit, Hic etiam summus Pontifex, suo prohibet diplomate, nè suffragia hominum politicorum, in designatione Præsulum Sueticorum, nullatenus admitterentur.

Anno MCCXLIV. Hamburgum ex Italia reversus Adolphus, XII Martii, primis operatur sacris; Postea se accingit fabricationi apud Chilenses cœnobii. Huic autem fabricæ Adolpho invigilanti, & quadam vice subsidium in urbe mendicanti, filius in platea multis comitatus, forte fortunâ occurrit; Et quod primo filii conspectu, se squalidi pueri habitus, occursumque illi ideo declinare voluerit, sibimet vehementer indignatus, priorem continuat gressum, inque transitu, se multo perfudit lacte, quod ollâ prægrandi gestaverat, inquiens; Vivat Christus meus, pompa mundi valeat. Non ea præditus mentis submissio- ne gener Abel, se vasallum Erici regis, nomine Ducatus Slesvicensis, noluit agnoscere, asseverans hæreditario illum jure sibi à parente collatum esse. Quare arma utrinque corripunt, & mutuis aliquamdiu se cladibus fratres afficiunt, donec quorundam interventu principum, induciis consentirent. Nec ista fratrum discordia, Nordalbingis & Vagriis fuit ingrata, quod ea flagrante, Danorum sibi haud formidandam censerent potentiam.

Anno MCCXLV. Clerus Daniæ admodum molestè tulit, quod pro bellicis hujusmodi expeditionibus compelleretur à Rege, non minus, quam laici contribuere, contra priscam ecclesiæ Danicæ immunitatem. Quamobrem Uffo, regni Archipræsul, bimestri ante Pascha tempore synodum Ottoniæ celebrat, præsentem, cum Daniæ Antistitibus & Prælati, M. Johanne de Placentia, Innocentii in Scandia nuncio, ibique renovat sententiam Leonis, atque Gregorii IX. in expilatores ac oppresores Ecclesiæ Danicæ olim prolatam, & illam sollennioribus mandatis festivitatis ex pulpito, cum ceremonia consueta promulgari. Hinc proinde tantum Regis odium Archiepiscopus incurrit, ut patriam aliquamdiu commutare exilio fuerit compulsus, & interim Ericus quædam transtulit violenter ædificia Lundia, ad suum ex Præsulis domicilio; Nec tamen multo post tempore Uffo, patriæ ac gratiæ Regis fuit restitutus. Eandem propter causam, Nicolaus Roschildensium Episcopus, in exilium quoque voluntarium migravit, nec unquam in patriam remeavit, post quadriennium in cœnobia Gallia, Clarevalensi, in fata concedens. Interea proventus Nicolai extorris, Rex levavit, ideoque, sicut etiam propter Antistitis exilium, non paucorum contraxit Ericus invidiam.

Is proinde, cum aliis Scandiæ Regibus, ad Concilium citatus Lugdunense, ab Innocentio IV. suis illuc expeditis oratoribus, patrum anno sequenti

sequenti impetrat sententiam, clero mandantium, pro regni defensione, necessitatis tempore, Regi ferre subsidium. Præterea hoc Oecumenico Ecclesiasticorum conventu, Fridericus Imperator sua fuit dignitate spoliatus, & alios præter Candidatos, illi successor in throno Romano, Ericus, Danorum rex, est nominatus; sed tandem ipsi Henricus, Thuringiæ Langravius fuerat prælatus. Haquini, Noricorum regis, legati præfato simul comparentes Concilio, suo flagitant principi licentiam, diadema capeffendi, quam obtinent ab Innocentio, nuncium propterea illuc propediem expedituro.

Per id tempus Alexander, Novogardiæ Dux, Plescoviam expugnavit, plurimis ibi Crucigerorum trucidatis, & à residuis Danus in subsidium vocatus, illuc parat cum exercitu profectionem; Atque subveritus nè Abel in sua quid rerum innovaret absentia, ipsum ad eandem pertraxit militiam; Quam tamen Ericus intermisit, intelligens Moschum Plescoviâ rediisse, nec hostem perfequi consultum esse.

Anno MCCXLVI. Concilium Lugduni adhuc celebratur, & Danus throno Imperii vacante, Lubecum recuperaturus, istud vehementer impugnat, ferreâ iterum catenâ per Thravam ductâ, ut obsessis omnem adimeret commeatum. Ast classis Suecorum auxiliaris illam perrumpens, Lubecensibus omnimodam annonæ copiam invexit; Quamobrem Ericus spe sua frustratus, indè domum festinat, illumque Lubecenses, propriâ & fociâ infecuti classe, maris Danici accolis multam inferunt calamitatem, fœdusque in Regem cum Holfatis ineunt; Quod ille submetuens, litem cum ipsis amicè, mercibus in freto ablatis, protinus restitutis, prudenter transegit. Verum Sueones, propter auxilium Lubecensibus modò præstitum, multo illic tempore à vectigalium immunes fuerunt solutione.

Anno MCCXLVII. Ericus contumaciter urgens, ut Abel, Christopherus & Canutus fratres, se beneficiario, non hæreditario suos jure Ducatus, in Jutia, Lolandia, Blechingiaque possidere, agnoscerent, atque repulsam passus, Vandalicorum ope principum illos impugnat; Christopherum & Canutum ditionibus exiit; Hunc insuper custodiae mancipat, à Lubecensibus deinceps liberatum; Ille ad castra profugit Abelis, quæ Rex, Ducatumque infestat Slesvicensem. Nec Abel, subsidio nixus Holfatorum, Lubecensium & Bremensium, multorumque in ipsamet Dania Præfulum, & Procerum, Erico succensentium, fratris timet potentiam; Quorum ope non minus gravia infert patriæ detrimenta, occupatumque per Lubecenses Axelhusium, quod Hafnia deinceps fuit appellatum, diruens; Ottoniam & Suinburgum ipsemet exurens; castro Ripensium expugnato, binas Regis filias, cum aliis optimatum plurimis, captivas abducens, innumeraque dans præterea, acceptansque damna. Ista porro clades mutua, cum per totum anni curriculum Daniam truculenter afflixisset, tandem XXI Decembris, factis utrinque induciis, & captivis solutis, paulisper cessavit.

Norvegus interim tranquillo fruens regni dominio, æmulis de medio sublatis, & Guilhelmum Sabinensem, Innocentii nactus legatum, Bergæ, XXIX Julii, ab ipso regalia capeffit insignia; Illaque festivitate peractâ, Cecilia Haquini filia, Haraldo nupsit principi Sudorensium, quâ cum ipse domum remeans nova nupta, interiit naufragio. Haquinus autem Cecilie frater, filiam postea Birgeri Jerl, in Gothia duxerat conjugem.

Atqui Guilhelmus, Pontificis Romani nuncius, secundum Regis inaugurationem, habitâ illic Synodo, non paucas, corruptos cleri mores emendaturus, edidit constitutiones, quibus presbyterio regni, inter alia, sub pœnis admodum gravibus, prohibet conjugium, omnemque prorsus concubinatum, exhortans ad cælibatum.

Anno MCCXLVIII. In Dania bellum inter fratres denuò recrudit; Siquidem veris initio, principes Vandalorum fœderati, Regis mandato, Holfatiam invadunt, & quandò Abel cum leviro, Johanne, Comite, hostibus invigilat expellendis, Ericus Ducatum populatur Slesvicensem, ipsique occurrens frater, Christopherus, profligatus captivatur. Sed cum malè audiret Ericus, quod binos in vinculis detineret fratres, & cum tertio belligeraret, Christopherum sibi juratum, & Fimbriâ donatum, fœderatumque libertati restituit. Deinde cognoscens, Holfatos quodam castro gratiâ consultationis congregatos, ipsos insperatus opprimit, & plurimos illorum captivos abducit; Quandò Lubecensium classem, prædis onustam Danicis, in Cymbrico intellexit freto morari, illucque perrexit, & IV hostium navibus captis, reliquas abegit, ac littora Fimbriæ legit, quam ingressus, expugnavit, Christohero protinus assignatam, cujus ibi nuptias, cum Margareta Sembyri, Pomeranorum Ducis, filia, celebravit.

His Ericus victoriis non contentus, mandat Henrico Emeltorpio, rerum militarium peritissimo, suo Randersburgi Castellano, ut Slesvicum conaretur occupare, dum ipsemet Abelem in Holfatia, bellis distineret. Qui mandatum feliciter executus, noctu civitatem fraudulenter capit, unaque filiam cepisset Abelis, illic velut urbe munitissimâ commorantem, nisi plebejo habitu assumpto, inde clanculum evasisset. Ericus porrò Slesvicum intelligens subactum, eò festinavit, Eschilloque illius præfule, quod Abeli esset fidelissimus, nec à Lundensi, sed Bremensi consecratus Archiepiscopo, inde fugato, in ditione, urbeque Slesvicensium aliquandiu moratur. Verum Abel in Nordalbingia exulans, à fœderatis principibus & Præsulibus, mercatoribusque subsidium adeptus, remeat, ac Regem inde profligat, & Jutiam vastat borealem; sicut etiam Danorum prohibitorum incursiones, Coldingi fundat munitionem limitaneam, quando inaudiens fratris reditum, prægrandi exercitu stipati, Holfatiam quantocyus repetivit.

Hujusmodi cum per vices se cladibus diu, patriamque afflixissent, demum principes quidam Germaniæ, calamitosi admodum Daniæ, ac Holfatiæ rebus, compassi, se interponunt sequestros, & fraternam componunt discordiam, ita quod Abel, Christopherus atque Canutus, suos retenturi essent Ducatus, se vasallos, serò nimium, Regis Erici agnoscerent, fidelitatem promitterent, firmissimoque tenore paci utrinque subscriberent, nunquam, si Diis placeret, violandæ, miseris horum populis, præ gaudio, illacrymantibus, ac pacem ardentè diu expetitam, miro tripudio exosculantibus!

Verum hujus anni principio, Guilielmus Innocentii legatus, ex Norvegia in Sueciam profectus, Scheningiæ in Ostrogothia, Februario mense, Synodum convocat, in qua Erico rege præfente, consentienteque clero, matrimonia interdixit, sub officii & beneficii privatione, rebelles & prævaricatores, potestati submittens seculari, horrendisque involvens maledictionibus. Quando similiter, violentos cleri hospites ferit anathemate, pariterque statuit, ut cum plerique Canonorum in Suecia, rure habitarent, ad minimum V illorum apud quamlibet Ecclesiam regni Cathedralè, in posterum residerent, causas in Consistorio frequenter occurrentes, unâ cum Episcopo decisuri. Postea vero legatus Gotlandiam hinc ingressus, sedulam ibi quoque dat operam clero reformando, prout ipsius testantur literæ; In quibus simul fatetur, hanc insulam à primordio suæ ad Christum conversionis, Lincopensium in Gothia Episcopo auscultasse.

Anno MCCXLIX. Ericus Rex, & Præsules regni Suecici, statutum Guilhelmi Sabinensis exequentur. Etenim cum hætenus Canonici, seu

Collegæ & Aſſellores Episcoporum, rure parochos agendo sustentarentur, ut de reſtitibus proviſi, cum ſuo Antiftite impoſterum nonnulli horum cohabitarent. V. Canonicis apud eccleſiam continuo habitaturis Cathedralē, modo liberaliter fuerat proviſum, & progreſſu temporis, ſuſtentatio pluribus illic aſſignaretur. Ac quantum ad Upſaliam, Sueciæ metropolim attineret, ibi munificentia Regis & Archipræſulis Jerleri, Præpoſitura, Archidiaconatus, & III. Canonicatus, fundantur.

Nec minus interim Ericus de ſubaſtione, & converſione Thavaſtorum in Finlandia ſollicitus, illuc Birgerum Jerl, ſororium, cum grandibus expedit copias; Thavaſtis autem bello ſuperatis, & ſacra Chriſtianorum ſuſcipere paratis, Dux vitam, bonaque indulſit; Quos poſt baptiſmi ſuſceptionem, Episcopo ſubjectos Rendamechenſi, ut Ericus à Ruſſorum tutiores redderet incurſionibus, novum ibi præſidium fabricavit, Burgum Thavaſtiæ nuncupatum. Ericus quoque Danorum rex, pacem naſtus domeſticam, Eſtonum in fide ſuſcepta confirmationem, & accolarum gentilium meditat expugnationem, informationemque. Proinde ab Innocentio IV. pro ſacra hac expeditione, trientem decimarum per Daniam eccleſiaſticarum nuper impetravit, iſto ſexennio fruiturus.

Sed iſtum non ſufficere belli nervum, probè animadvertens, in Comitibus obtinet Roſchildenſibus, ut agricolæ per Daniam, ex quolibet aratro, quandam facerent contributionem. Scani vero ſe nimium hætenus tributis exhaustos obtendentes, iſtud ſolvere abnuunt, & regem in Sconiam ideò proſectum, caſis aliquot comitum, Lundaia fugant Helſingburgum, ibique obſeſſum, impugnant. Atqui biduo ante Paſcha, furentis inſidias plebeculæ, declinavit, & collecto quantocyus in Sielandia exercitu, rebelles die altero Paſchæ debellatos, ad obedientiam revocavit, & illos, XV. milibus marcarum, jure mulctavit. Deinde à Sconis, & reliquis Daniæ populis, impoſitas adeptus ſuppeticas, ætate ineunte, in Eſtoniam velificavit, ubi trimēſtre impendit temporis ſpacium, audiendis incolarum querelis; Ethnicis Chriſto initiandis, & Eccleſiis fundandis.

Ita rebus in Eſtonia ordinatis, Ruſſiam invadere conſtituit, Pleſcoviam recuperaturus, & plures ſchiſmaticorum ac gentilium urbes, ditioſesque ſubjugaturus. Verum ante proſectionem, dormienti fertur Erico apparuiſſe S. Venceslaus, Bohemorum princeps, & ſuggeſſiſſe, quod velut ipſe quondam à Boleslao eſſet trucidatus fratre, ſic etiam fraternis Ericum inſidiis occubiturus; Prius tamen in Eſtonia cœnobium pro Divini honoris incremento fundaturum. Quocirca Rex iſta territus viſione, poſthabita Ruſſiæ impugnatione, Padicenſis monaſterii ſe accingit fabricacioni, de S. Venceslai nomine appellati. Sed ante illius conſummationem, Hoſſatorum ſubveritus molitionem, Randersburgo inhiantium, Auguſto menſe, in Daniam feſtinat, & Vordingburgi, XI Septembris, Revalienſem amplioribus ornat reſtitibus Episcopam.

In abſentia porro Eri, Uſſo, regni Archiepiſcopus, Calenburgi Synodum convocavit, in qua nonnullas promulgavit Eccleſiaſticas conſtitutiones; Quando Nicolaus, Sielandiæ Præſul, in Gallia mortuus, ſucceſſorem prius conſequebatur Doctorem Jacobum Erlandi, Eccleſiæ Præpoſitum Lundeniſis, & Sacellanum non ita pridem Innocentii IV. qui ob ſingularem eruditionem, ex nupero Lugduni Concilio, multam nominis gloriam domum reportavit.

Anno MCCL. Præſtantiffimus Sueonum rex, Ericus, II Februarii die, mortem in Viſingiana oppetiit inſula, nullis liberis relictis, & funus in Varnhemeniſi humatur cœnobio. Poſtea regni ordines congregati, Valdemarum, inſigni principem indole, regem Sueciæ, Gothiæque ſalutant,

tant, quod matre genitus esset Erici sorore, & patre Birgero Duce, ita clarissimum derivans genus à S. Erico, & Suerchero, laudatissimis Sueonum regibus. Sed Birgerus in Thavaestia cognoscens filii designationem, subitus domum advolat; thronum filio subtractum affectat, & tandem non obscure prospiciens, nisi Valdemari approbaret electionem, non sibi, verum altero Procerum generosissimo, nempe Ioaro Bla, sceptrum regni porrigendum esse, filii promotionem minorennis confirmat, & loco illius, XV annis, patriæ rempublicam prudentissimè juxta ac felicissimè gubernat.

In Dania vero Ericum, illius regem, Johannes & Gerhardus, Holfatiæ Comites, impugnare decreverunt, quod sibi resignare nollet Randersburgum, velut prægrandibus olim Danorum sumptibus occupatum. Itaque Intelligens Ericus, Holfatos, auxilio Lubecensium, Bremensium & Padebornensium, præfatum obsidere castrum, nec fratrem hostibus addictum sibi persuadens, per illius ditiones cum exercitu properat, Randersburgensibus in subsidium. Indeque Holfatis non difficulter fugatis, habuit in animo Frisios domare, consueta Danis negantes tributa, & Dithmersos, Episcopo jam auscultantes Bremensi, denuo subjugare. Atqui cum appropinquasset Slesvico, constituit illic fratrem convenire, ut ipso sequestre, ista cum Holfatis dissensio, citra humani sanguinis profusionem componeretur, mandans militi Randersburgo interea subvenire, aut immorigeros Frisiæ litoralibus incolis punire, ad illum quantocyus rediturus, & quid porro factu opus esset præscripturus. Regem verò paucis stipatum comitibus, Slesvici comparentem, Abel, qui potius Cain appellandus, familiariter & hilariter inprimis, velut Christum proditor Judas, excepit; Postea inter convivandum, obductas veteris contentionis orditur refricare cicatrices, nec modesto fratris responso placatus, grandibus ipsum catenis mandat vincendum. Nocte autem intempestâ, in propinquum Sliæ lacum cymbis abductus, ut decollaretur, flagitat sibi copiam fieri sacerdotis, cui faciat exomologesin; Istâque finitâ interrogatus à sicariis, ubinam suum haberet thesaurum reconditum? In quadam, inquit, cista Roschildenses apud Monachos. Deinde memorat, sibi quidem haud fuisse ignotum, quod fraternis esset insidiis occubiturus, sed scelus adhuc prorogandum esse existimasse, asserens, Abelem illud non impune laturum, nisi tempestivâ Deum placaret pœnitentiâ.

Nec plura permissus profari, capite obtruncatur, inter IX & X Augusti diem, & corpus exanime, præter magni ponderis catenas, gravibus oneratum saxis, demergitur; Quod tamen post bimestre temporis intervallum, ex fundo lacus emerfit, dexterâ in sublime protensâ, vindictam cœlitus implorans. Nec istud frustra prodigium accidit; quandoquidem non Abel modò, primarius sceleris architectus, verum quotquot illius complices fuerunt, horrendo mortis genere interierint. Ast regium funus, à monachorum piscatoribus Slesvicensium, inventum, in ecclesia cœnobii sepelitur.

Et cum intereâ fallò divulgasset Abel, fratrem in onerata nimium cymba redeuntem ad castra, fuisse submersum, jam funere illius invento, & adhuc, præter consuetudinem aliorum cadaverum, cruento, mendacii arguitur; sed culpam sceleratus à semet derivaturus, affirmat malitiosè, fratrem suo injussu fuisse trucidatum ab osoribus; Et magis insontem se demonstraturus, exemplo Judæorum, qui sepulchra Prophetarum à majoribus nefariè occisorum, incrustarent, non immerito propterea à Christo repræhensi, Erici funus ex monasterio translatum, in Ecclesia Cathedrali honorificentius procurat humandum, ubi catenæ ad parietem suspensæ etiam hodiè visuntur.

His se Abel apud Danos excusatum ratus, ipsos de sua ad thronum promotione, non erubuit sollicitare, atque à suis fautoribus, & fratris defuncti osoribus, benevolum nactus responsum, ut reliquos Danorum, sibi etiam redderet addictos, persuasit leviris obsidionem Randersburgi deserendam, illo deinceps, citra bellum, potituris. Tandem ordines Daniæ, Abellem, licet throno indignissimum, regiâ ornare dignitate decreverunt, his insuper causis impulsus, ne aliàs regno Ducatus subduceretur Slesvicensis, & Holsatorum diutius armis illud impeteretur. Prius tamen ex voluntate Danorum, suo & XXIV Procerum Abel juramento probare nitebatur, quod fraternam non mandaverit cædem, horrendo se contaminans perjurio. Nihilominus Calendis Novembris, rex ille proclamatur, & festo Theophaniæ in basilica Roschildensi coronatur; Quando referata fratris incœnobio cista, habitum illic duntaxat monasticum invenit, indeque, velut aliis quoque indiciis colligens, quod exemplo Adolphi Comitis, deserto regimine, propediem ibi monasticen fuisse professus, sceleris ipsum cœpit vehementer pœnitere. Filias porro superstites habuit Ericus IV. videlicet, Sophiam, Ingeburgem, Jutham, & Agnetam.

Anno MCCLI. Frequentissimus Nyburgi fuit ordinum Danicorum conventus, tribus ante Pascha septimanis inchoatus, ubi cum regni gravissimo fuit detrimento constitutum imprimis, ut Abelis filii mortuo succederent parenti, horumque progenies, jure quodam thronum Daniæ possideret hæreditario, atque interim Valdemarus, regis primogenitus, ducatu frueretur Slesvicensi. Proinde Abel fratres placaturus, ob cædem Erici graviter iratos, successionis jure privatos, & præcipue Christophorum, feudo insuper Jutiæ australis postulato, non donatum, atque Fimbria Holsatis restitutâ, spoliatum, ipsi Lolandiam, Falstriaque, & Canuto Blechingiam, assignavit; sed Jacobo, Claudii Comitis agnati, nunc mortui filio, borea em confirmavit Hallandiam. In his præterea comitiis, Sueonum & Noricorum legati comparentes, queruntur de damnis, fratrum discordia flagrante, passim suæ patriæ illatis, & pro hujus controversiæ transactione, limitaneum inter Scandiæ optimates promulgatur colloquium.

Verum Holsati, Randersburgum isto conventu non adepti, illud denuo acrius impugnarunt, quibus cum Abel ita transegit, ut depositis armis, in XII compromitterent arbitros, & hi negotio deinceps probe examinato, Holsatis castrum adjudicarunt. Nullo autem Danorum, condito inter hos & Suecos, Norvegosque die colloqui, in limitibus regnorum comparente, arma in Danos parantur; Quando Abel, missis Lutetiam literis, Valdemarum inde filium, à liberalium artium pertractatione, ad ducatus Slesvicensis gubernationem revocavit; Quem Colonienfium Antistes, ejus parenti ob fratricidium offensus, in reditu captivat, & quadriennali mancipat custodia.

Atqui Magistro Crucigerorum, VIII Augusti, confirmavit Abel paternam super Jervia donationem, & quidquid Dani hætenus juris sibi vendicassent in Oeseliensem, ac ditionem maritimam, illud ab iis alienavit, Hermanno Oeseliæ Præfule, suo quondam Cancellario, & successoribus ad perpetuam collatum possessionem; Illius tamen postea nunc Danus, nunc Svecus, nunc Polonus, & subinde Magister Crucigerorum, sibi jurisdictionem ac protectionem arrogarunt. Episcopus vero Arhusiensium, Ebbo, oblata identidem ad S. Claudii sepulchrum munera, sic partitus fuit, ut bina cederet illorum portio ædificio basilicæ facto, tectoque conservando, & tertiam Canonici perciperent.

Valdemarus, Sueonum Rex, interim Lincopiæ redimitus diademate, uni procerum commendatur educandus, & Catharina Erici prædecessoris

vidua, pompam mundi pertæsa, monasticen Gudhemie amplexatur. At Innocentius IV, sententiam Vilhelmi Sabinensis, in violentos Presbyterii Suecici hospites prolatam, & donationem regis Erici, ac Birgeri Jerl, super decimis pauperum, Ecclesie factam Upsalensi, (quam sub B. Petri & suam, cum bonis quibuslibet admittit protectionem, liberamque præsulum promittit electionem) III Decembris, Lugduni approbavit.

Anno MCCLII. Frifones, plus quam alii Daniae subjecti populi, contributione in Nyborgensibus imposita comitiis, pro solvendis Reipub. nominibus onerati, illamque frustra deprecari, rebellarunt. Itaque Abel contumaces domiturus, ipsos hyemis tempore invadit, quos pro libertate à Carolo Magno quondam impetratâ, belligerare paratos depræhendit. Priusquam verò arma capefferent, vovent unanimes, quod aureis vellent laminis, ligneam S. Christiani statuam, sui patroni, hoc sibi præferendam bello, decorare, si hujus divi apud Deum precibus victoriam reportarent. Nec irritum fuit votum; Siquidem admirandâ imbrium copiâ cœlitus lapsa, Regi quælibet invia reddidit itinera, ut plebeculam in glacie subjecta continenti, ad præliandum congregatam, aggredi non valeret, domumque semivictus regredi, pro tempore deberet.

Mense autem Junio, potentior multò in Frisiam reversus, illam prorsus in solitudinem redigere animo propositum habuit, atqui secus accidit; Nam incolæ cum binis Regem vicibus fugassent, tertio demum prælio, quod XXIX Junii die, contigit, ipsum cum exercitu cæciderunt universo, & ita necem Erici regis innocentem, ex inscrutabili judicio Dei vindicarunt! Deindè postquam diebus non paucis, cadaver Abelis loco pugnae inhumatum, bestiisque jacuisset expositum, illud Slesvicenses, licentiâ victorum, in templo S. Petri deposuerunt; Verùm quod horrendos noctu tumultus ibi cieret, inde postea extractum, in propinquâ defoditur palude, paloque transfigitur, & nihilominus multo illic tempore, ipsius spectrum visitur.

Sueones à bello Danis hac occasione inferendo, domestica revocavit seditio, quam à Folchungis commotam, suâ Birgerus Jerl prudentiâ mox sedavit; sicque domi pacem nactus, ut crebris piratarum in Meleorum excursionibus aliquod objiceret obstaculum, Stockholmiam, fortissimum regni propugnaculum, modò fundavit. Mater vero Birgeri, perillustri heroina Ingridis, cognomento Ylfa, XXVI Octobris, morte sublata, in adyto ecclesie Bielbogensis, erecto sepelitur corpore, quod verbis esset intermortuis vaticinata, suam haud interituram progeniem, quamdiu vertex sursum spectaret. Nec defuit vaticinio eventus, cum per CD deinceps propemodum annos, in hodiernum usque diem, illius ossibus in angusta Ecclesie præfatæ columna, ut ferunt, naturali figura consistentibus, florentissima etiam ipsius familia permanserit, quâ, præter non paucos Sueciae alios proceres, etiam moderna regum profapia, est oriunda.

Haftenus in Dania, Christopherus sceptro regni gnaviter inhiavit, quod tandem optimates, promissionis obliti nuper, Valdemaro Abelis filio factæ, porrexerunt; Illo tamen Valdemarus fortassis fuisset potitus, si præsens domi adfuisset. Ante inaugurationem porrò Christopheri, Uffo, regni primas Danici, XV Decembris, infulam morte permutavit; Nec Jacobus, quod Christopheri fuerit adversatus promotioni, mox Uffoni subrogatur. Rex proinde ab altero præsulum, in festivitate Natalis Dominici, cum uxore Margaretâ, Lundie insignitur diademate, & quadriduo post inaugurationem transactò, quælibet presbyterio roborat Lundensi privilegia, illud, colonosque, à contributionibus eximens.

Atqui Megtildis vidua superstes, Abelis, gravi succensa furore, quòd

Nybourgensem juxta constitutionem, suorum nemo filiorum, scepro esset potitus; simul etiam subverita, ne reges Daniæ imposterum, Pontificalibus & Imperialibus freti diplomatibus, Nordalbingiam & Vagriam, suis fratribus, Holfatiæ Comitibus, horumque progeniei, temporis progressu, eripere cõnarentur, ideò quaslibet Romanorum præsulum, ac Cæsarum literas, Danis peculiarem in regiones præfatas jurisdictionem attribuentes, ex Archivo regni ablatas, flammis tradidit absumendas.

Anno MCCLIII. Christopherus regni clavum suscipit gubernandum, malo ipsum statu inveniens constitutum, & illum priori demum relinquens, adeo ut ejus regimen patriæ fuerit perniciosissimum. Enimvero quamprimum regia ipsi dignitas esset collata, exitiale mox orditur bellum cum Holfatiæ Comitibus, arrogans sibi tutelam fraternalium liberorum, & his Ducatum denegans Slesvicensem; Ideoque pupillorum avunculos, hujusmodi tutorem merito suspectum habentes, ad arma provocans. Ac imprimis quidem aggressus Henricum Emeltorium, quod sibi spondere fidelitatem, nomine quarundam munitionum & ditionum, quas in pignus ab Abele, illarum legitimo hærede, nuper accepisset, recusaret, Suinburgum anno priore obsedit, indeque cum plurima suorum cladè militum repulsus, isto iterum anno, illud impugnat, ac expugnat, Henrico ad Holfatos, & Brandenburgenses profugiente, quos in Danum concitavit.

Itaque Comites liberis compassi sororis, cum Lubecensibus & Brandenburgensibus propter dotem matris Sophiæ nec dum solutam, Christophero infensis, fœdus in ipsum percutiunt, Daniamque invadunt. Nec illam Sueones, Norvegique, occasionem Danos simul impugnandi, damnis Suetiæ ac Norvegiæ, non pridem illatis satisfacere procrastinantes, negligendam rati, principio veris, Haquinus maritimas in Daniam cohortes, & Birgerus Jerl, Sueciæ prorex, terrestres adduxerunt bellacissimas. Unde per reliquum anni tempus, à Suecis, Norvegis, Holfatis, Brandenburgensibus, & Lubecensibus, horrenda fuit Jutiæ, Sielandiæ, Scaniæ, Hallandiæque, inflicta clades; Quando Christopherus, ita hostium erat multitudine cinctus undequaque, ut cui primum occurreret adversariorum, ignoreret. Et dum Christopherus domi à Suecis atque Norvegis distineretur, Holfati nullo Ducatum negotio occuparunt, dieque XXI Septembris, captum expilarunt Slesvicum; Sed quotquot illorum, ecclesiasticam basilicæ supellectilem diripuissent, cœlitus vindictam sacrilegii senserunt; Siquidem plurimi à Diabolo mox obsidentur, reliqui alio correpti furore, propriis se gladiis transfigunt, aut in aquas, velut lymphatici, præcipites ruentes, se miserrimo spectaculo submergunt.

Tandem vero, quorundam Germaniæ principum interventu, Christopherus suo spondens diplomate, quod fraternis Ducatum liberis, ubi adlevissent, esset assignaturus, illique suam vicissim ad thronum Daniæ jurisdictionem resignaturi, & Marchio Brandenburgensis, in solutionem dotis maternæ, ac horum compensationem sumptuum bellicorum, aliquandiu foret Randersburgo fruiturus, istis reconciliatur adversariis, non Sueonibus aut Norvegis. Quamobrem Haquino ad regni defensionem in Norvegiam reverso, filius Haquinus & hujus socer Birgerus, remanentes, in Novembrem usque mensem, Daniæ insistent deprædationi, quando prædis onusti plurimis, inde redeunt. Christopherus autem, regni thronum, liberis subtractum Abelis, Erico filio procuraturus, ipsum sibi obtinet successorem. Sub isto patriæ tumultu, Monachis Vordingsborgi Dominicanis magnificum fabricatur cœnobium. Catharina etiam, vidua Erici regis, porro benefactura conventui Vestrogothiæ Gudhemensi, prædium illi legavit, Vilhamar, amplissimum, & urbem Ostrogothiæ Sudercopensem, Bene-

Benedictæ sorori, Suantepolchoque hujus marito prænobili, loco testamenti, donavit, deque vita migravit.

Anno MCCLIV. Jacobus, Roschildensium Antistes, XII Martii, quædam primus statuta Hafniensibus municipalia, fuit largitus; Qui parvo post tempore regni designatus Archipræful, non confirmationem à rege, quod ipsum sibi contrarium esse, & secundum privilegia Lundensis Ecclesiæ, nihil illi competere suffragii in Antistitum electione, hæud ignoraret, sed illam Romæ impetravit; Deinde nactus etiam inaugurationem, Rege inconsulto, jus Sconia Canonum, velut Catholice passim religioni dissentaneum, reformavit. His itaque de causis, sicut etiam, quod se à Suinborgensi reducem, ante biennium obsidione, non intromississet Hafniæ Jacobus, Rex ipsi multiformes tendere capit insidias. Quo tempore Haquinus Junior, Norvegiæ Rex, super belli contra Danum renovatione, cum Birgero socero, Sueonum prorege, consultaturus, ipsum, levirumque Valdemarum in Vestrogothia convenit, & negotio cum his probè deliberato, in patriam festinans, Tonsbergæ mundo valedixit, à parente, sicut memorat Crantius, trucidatus, & Aslogiæ tumultus.

Haquini vero exequiis transactis, frater hujus Magnus, parenti successor in throno ab ordinibus regni appellatur, illique propterea domi remansuro, Haquinus pater regnum commendans, cum instructissima, CCCXV navium classe in Daniam properat, quo simul Suecus, terrestribus non minus formidabilis cohortibus, pergit. Danus autem, ab Holfatorum incursionibus, non etiam securus, cognito Sueonum & Noricorum adventu, per legatos iis obviam quantocyus destinatos, quadrimas obtinet inducias. His proinde adversariis, difficulter pro tempore placatis, Christopherus ducatum frustra impugnat Slesvicensem, & interim Valdemarus, Abelis optimus filius, auro Johannis avunculi, à matre deinceps soluto, ex diuturnis liberatus vinculis, amicorum patrocinis, ducatum à patruo impetravit, inde obsequia regno Daniæ præstiturus, & quamdiu minorennis esset, regem habiturus tutorem, atque provincie gubernatorem. Modò tamen Valdemaro fuit ducatus sub feudo sollempniter collatus, & primus ille Slesvicensium Dux creatus.

Pari quoque ratione, voluit Christopherus, Hallandiæ comitatum borealis, Jacobo, Claudii Comitæ filio, confirmare, licet pro hæreditariis in Megapolia ditionibus, ejus olim parenti fuisset assignatus. Atque cum Jacobus, hujusmodi propterea feudum recusaret, penitus Hallandiæ spoliatur, & multo viliori provinciâ donatur, quam Comes injustitiam acerrime postmodum vindicavit. Sed Megtildis, Valdemari mater, filii contenta provisione, & mundanæ pertæsa vanitatis, monasticum vivendi genus amplectitur; Quod tamen postea deseruit, à Jacobo Archipræsule Danico fortassis persuasa, qui per illius connubium, Regi, velut utriusque adversario, fertur infortunium molitus, prout sequens docebit historiæ contextus. Quippe mortuâ nunc Ingeburge, ac Varnhemie sepultâ, illustrissimus ejus maritus superstes, Birgerus Jerl, instinctu quoque deinceps Jacobi, ex quorundam sententia, Megtildem occæpit expetere conjugem.

Anno MCCLV. Eschilstunium in Sudermannia Sueciæ, Johannitarum cœnobium conditur, quod Alexander IV. privilegiis ornavit. Sed VIII Septemb. Jerlerus, Sueoniæ Archipræful, vitam finiverat, Sigtoniæ apud suos humatus contubernales veteres, & cathedram adiverat Upsalensem, Laurentius, ex conventu desumptus Enecopiæ Franciscano.

Anno MCCLVI. Christopherus suo mandat Sconis diplomate, ut

novis Archiepiscopi pothabitis constitutionibus, Sconicæ veteres Ecclesiæ amplecterentur & sectarentur, simulque promulgat comitia Nyburgi, Calendis Februariis inchoanda. Hinc Jacobus, regni primas, magis regias timens molitiones, synodum Vedelæ, comitiorum tempore celebrat, in qua, VI Martii, universo Daniæ clero mandavit, ut aliquo Danicorum præfulum captivato, vel aliàs indignis modis multato, aut molestato, à Divinis protinus officiis ubique regionum cessaretur. Deindè præmissâ absentia excusatione, Nyburgum accelerat, & in senatu illic tandem comparenti, illud Maronis occinit Rex hemistichion: *Tardi venere bubulci*; Ipsumque propterea offensum animadvertens, has insuper movet illi objectiones, palam sequenti promulgatas tenore: Jacobus Erlandi, rege inconsulto, factus est Archipræsul; Præsentatos ab eodem ad illa clericos beneficia, ad quæ ipsius habet Majestas jus patronatus, non ille solum repudiat, sed, ut idem reliqui faciant, in regno Episcopi, mandat; Sacerdotes regios Romæ à censuris absolutos Ecclesiasticis, iis denuo ipsos implicat; His, aliisque, contemptâ regis intercessione, absolutionem denegat; Neglectis regni comitiis, synodum congregavit, in qua statutum edidit, legibus & patriæ adversarium consuetudinibus; Norvego, regni inimico, literas destinat; In fundo suæ ecclesiæ, unam urbem, & tres fundavit munitiones; Sibi causas arrogat XL marcarum, ad regem pertinentes; Clero vetat coram regio respondere tribunali, & ullatenus in aliis comparere politicorum judiciis; Regia in archiodæo templi Lundensis, subsellia diruit; Regem ante quadriennium, ex prælio venientem Suinborgensi, noluit Hafniæ intromittere; Denique Lundia, in festo D. Lurentii proximo, regem in maxima plebeculæ frequentia, prædonem vocavit, sicque ipsam ad tumultus incitavit.

Istis autem objectionibus præfulem respondere volentem, & constitutionibus ecclesiasticis, privilegiisque se excusantem, contempsit Christopherus, indeque digressus, ad novum Vordingsborgii conventum ordines convocat. Ubi etiam comparens Jacobus, mense Junio, cum aliis regni optimatibus, & statibus, regiam frustra conatur gratiam, interventu contribulium suorum, ex Pomerania Ducum illic præsentium, recuperare. Quamobrem ille, & reliqui Daniæ Antistites, de regis violentia, Ecclesiasticam perfundantis immunitatem, coram Alexandro IV graviter conquesti, Pontificis ad Christopherum admonitionem, ac Viterbii, II Octobris die, statuti Vedelensis confirmationem obtinuerunt.

Verùm initio veris, suos ad eundem Christopherus transmisit oratores, novam flagitans bullam, Danis Nordalbingiam & Vagriam denuo attributuram, cum priores his super ditionibus Pontificum & Cæsarum, Megtildis exuffisset literas, illamque, XXVII Junii, Anagnia non difficulter impetrans. Interea, non modo clerus regni, sed etiam plebecula, minus æquum regis pertæsa dominium, nimias, crebrasque imponentis contributiones, contra ipsum rebellis insurgit; Quam licet passim domare sit conatus, tamen nihil profecit, donec Archiepiscopus cum quibusdam aliis præfulibus & proceribus, à Christophero rogatus, regnum peragrans, illam sedasset populi rebellionem, quam ipsemet, ut quidam sentiunt, prius concitavisset.

Is præterea hoc tempore Antistes, non pauca legavit bona Ecclesiæ Lundensi, mobilia & immobilia, ut XII inde scholares perpetuo sustentarentur. Novus vero Sueonum Archipræsul Laurentius, electionis Romæ obtentâ hæctenus roboratione, Lundia per Jacobum modò inauguratur. Sed Candidato Alexander impertiens confirmationem, ipsum & cæteros Sueonum Episcopos, officii sedulo admonuit; Quibus etiam concessit facultatem absolvendi Clericorum percussores, & cæsores eorundem, non sacer-

dorum, quod horum atque monachorum cæde contaminatis, pro criminis expiatione, Romam ex Scondia foret peregrinandum; Quando insuper decretum approbavit Vilhelmi Sabinensis, pronuncians, violentos cleri hospites, ipso subjectos facto excommunicationi.

Atqui prudentissimus Sueciæ Gubernator, Birgerus Jerl, statutis & legibus regnum politicis, insigniter modò decoravit; Nam limatas provinciarum leges plurimum adauxit; novas municipiis, ex veteri Byrcensium codice conflatas, donavit; ut peculiari quilibet domi suæ; in ecclesia; iudicio, & ultro, citroque ad ista commeans loca, gauderet securitate, suo edicto, legibus inserto mandavit; Fœminas porrò sub singularem admisit regum protectionem, quibus etiam compatiens, hætenus à capeffenda in regno hæreditate, prorsus exclusis, ipsis à parentum obitu trientem, sed aliorum post mortem cognatorum, semissem bonorum, cum cohæredibus percipiendi facultatem indulfit. Quocirca propter huiusmodi, aliaque clarissima in patriam beneficia, cumulatim exhibita, Valdemarus filius, ordinum rogatu, parenti Ducalia contulit insignia, qui Comitis solum gauderet hætenus dignitate, Jerl, id est, Comes appellatus. Ast Sellius, Nidrosiæ in Norvegia modò Archiepiscopalia capeffit ornamenta.

Anno MCCLVII. Quandoquidem innocentia Erici regis, per evolutum à cæde ipsius sexennium, non paucis divinitus signis innōtuisset, facultate Alexandri IV. exhumatus, Slesvicoque Ringstadium sollenniter translatus, loculo includitur argenteo, in ara ecclesiæ collocato. Istà verò consummatâ apotheoseos festivitate, Christopherus frater Lundiam festinat, illic socerum excepturus Sembyrium, Pomeraniæ Ducem; Cujus ibi adminiculo, velut etiam filiæ Margaretæ, Archiepiscopus Regi fuit reconciliatus.

Interea temporis, Valdemarus Slesvicensium princeps, immatura nimium morte abripitur, & frater Ericus, ducatum, ceu hæreditarium, non beneficiarium, sibi perperam vendicat. Hanc itaque præsumptionem, Christopherus agrè ferens, Jutiam armis recuperat, & in Holsatiam Ericum fugat adversarium. Inde cum victoria igitur reversus, flagitat ab Archipræsule, ut nobilem quandam fœminam, sacris interdiciam vellet absolvere, & nequaquam exauditus, Lundiam ad Paschæ sollennia proficiscitur, ubi IV huius festivitatis die, sedens pro tribunali, veterem Præsuli movet controversiam, qui propterea regis ad forum citatus, comparere noluit, quod neminem se agnoscere iudicem, præter Romanum Pontificem, affirmaret; Quo magis offensus responso Christopherus, ex urbe furens, fremensque discedit, & literis Lundiam remissis, omnia revocat privilegia, Ecclesiæ, atque Præsulibus, presbyterioque concessa Lundensi, à suis in throno antecessoribus; Et simul mandat Archiepiscopi vasallis rure habitantibus, ut intra XV exinde diem, sibi præstarent homagium, nisi mallent in plebejorum redigi ordinem. Nec isto territus fulmine politico Jacobus, ecclesiastica in latores diplomatis regii torquet audacter fulgetra, & ejusdem executores.

Neque solum clerus hanc Regis, Canonum ignari ecclesiasticorum, insolentiam, contumaciam & audaciam, sed ordo etiam plebejus, summo pere admiratur, Christopherumque hortatur, ne officiis se ingereret ecclesiasticis; Donatam à majoribus clero immunitatem, & à Romanis roboratam Præsulibus, inviolatam relinqueret. Verum furdo canunt fabulam, ideoque plebecula, regni clero auxilium latura, denuò adversus regem insurgit pervicacem, & aliquot ab illo passim cladibus affecta, paulisper conquiescit; Non Lundensis & Roschildensis, Antistites, qui alios domi, forisque tyranno objiciunt adversarios.

Anno MCCLVIII. Jacobus regni primas Danici, ut Suecos & Holfatos Christophero, libertatis ecclesiasticæ velut oppressori, simul opponeret, Megtildi Abelis viduæ suadet, ut prælustri Sueonum Duci nuberet Birgero, quod illius subsidio filius Ericus, non Ducatum modò Slesvicensem recuperare, ast insuper sceptrum Daniæ, tyranno ablatum, posset faciliè occupare. His illa rationibus victa, Birgeri consensit matrimonio, quod insigni mox pompa fuit celebratum, Alexandro Pontifice ob voti prævaricationem, à Megtilde nuncupati, & Christophero propter discrimen hinc sibi metuendum, magnopere indignantibus; sed cum illo, dispensatione obtentâ, Megtildis postea in gratiam rediit.

Haquinus præterea Noricorum rex, cum quadrimæ jam effluxissent induciæ, à primate Danorum, velut sibi amicissimo, similiter forsitan instigatus, infestâ petit Sielandiam classe, quando Sueonum Prorex, Birgerus, terrestri Sconiam exercitu invadit ex pacto; Et cognoscens Christophorus, Norvegos Hafniam appulisse, illuc trepidus cum nonnullis festinat procerum, ad colloquiumque permissus Haquini, eum ita sibi amicat, ut mutuis secum conviviorum exhibitionibus, & munerum certaret largitionibus; subsidium in hostes promitteret; matrimonio filii Magni cum Ingeburge, S. regis Erici filia, contrahendo subscriberet; Christophero Archiepiscopum reconciliare laboraret, licet frustra, & demum se obligaret sequestrem, inter illum & Suecum.

Itaque limitaneum indicitur colloquium, ubi Christophorum & Birgerum Haquinus reddit amicos, iidemque novam porro firmaturi amicitiam, foedus ineunt super mutuo in hostes subsidio ferendo, & Christophorus alteram, S. Erici filiam, Sophiam, Valdemaro, Birgeri filio, spondet conjugem. Postea Dux Birgerus, ob prudentiam singularem à Rege & Archiepiscopo, arbiter controversiæ delectus, gravamina utriusque fideliter ponderat; Vetera quidem Christophorus exaggerat, quibus postquam Jacobus ita satisfecisset, ut nemo juris gnarus Ecclesiastici, merito illum reprehendere posset, sua proponit multo graviora quam regis, quorum hæc fuit summa: Quod non ipsemet solum Christophorus, sanctæ matris Ecclesiæ obluetaretur libertati, authoritati & potestati; sed alii etiam laicorum, ipsius conniventia & licentia provocati, Ecclesiam Daniæ, ac illius personas, pessundare omninò adniterentur. Hinc suam rex causam animadvertens periclitari, gratiam præfili offert, dummodo regni fisco, bona naufragæ, in fundos ecclesiæ Lundensis ejecta; sicut etiam illorum, qui sine hærede morerentur, vellet permittere. Atqui cum Jacobus ad summi pontificis ista spectare solam determinationem asseveraret, deque suo & ecclesiæ jure, ne latum quidem unguem discedere vellet, indè Christophorus magis furore percitus, adversarium contempsit.

Quare Archiepiscopus, quanto versaretur periculo, non lippis conspiciens oculis, & propterea sibi, Ecclesiæque prospecturus Daniæ, cujus ex officio se generalem præberet defensorem, Christophorum plurimis onerat Romæ criminibus haud infontem, & flagitat, ut illo deposito, Ericum, Abelis filium, dignaretur Alexander ad regium Daniæ solium promoveri, quo esset per Christophorum injustè spoliatus. Ac benignum, dubio procul, responsum ibi adeptus, cum ipsomet Erico, & hujus avunculis, Holfatiæ Comitibus, cognato Jarimaro, Rugianorum principe; Roschildensi & Ottoniensi, præsulibus, caput hoc de negotio consultare, plebeculaque tertium hinc instigata, Christophoro rebellat, quam frustra ille profligat. Interim Archiepiscopus etiam gladio adversarios ecclesiastico impugnaturus, Hafniæ synodum convocat, in qua Politicos simul, atque Ecclesiasticos, constitutioni quocunque modo se opposcentes Vedelensi, horrendum execratur.

Nec Rex molitiones ignorans Archipræfulis, ut suis quoque rebus tempestivè provideret, Comitia publicat Ottoniæ ab ordinibus frequentanda; Ubi præter alia regni ponderanda negotia, Ericum decreverat filium diademate insignire. Verum illuc Archiepiscopus non modò non accessit, sed etiam ibi comparentes maledixit; Ideoque paucis Danorum eò venientibus, Christopherus dissimulat indignationem, & ordines mense Novembri Politicos, Hafniæ convocat, ipsorumque consensu decrevit, Archiepiscopum, ac quosdam Episcoporum, oblata occasione, quamprimum captivandos.

Per id verò tempus rex Castiliæ, missis in Norvegiam legatis, filiam Haquini Christinam, uni fratrum suorum poscit conjugem, petitionique tandem Norvegus consentiens, illam hoc autumno per Galliam, cum magnifico apparatu & comitatu transmisit in Hispaniam, XXII Decembris, honorificè admodum in Castilia susceptam. Interea domi Sellius, Norvegiæ Archipræful, vitæ periodum clauferat, & Nidrosiensem Einarus presbyterii suffragiis consequitur ecclesiam.

Anno MCCLIX. Jacobus Daniæ Archiepiscopus, noctu inter primum & secundum Februarii diem, in quadam prope Lundiam villa regis captivatus insidiis, castro Hagenschogensi per biennium fermè detinetur, cum ecclesiæ suæ Præposito, & Archilevita, mox etiam à rege captis. Quamobrem juxta constitutionem Vedelensem, ab Alexandro IV. approbatam, in Scania, Hallandia, Blechingia, Selandia & Fionia, à sacrorum cessatur actutum operationibus; Ac Roschildensis, Ottoniensisque Episcopi, suæ etiam regem captivationi cognoscentes intentum, regno profugiunt, ille quidem in Rugiam, unde Romam perscripsit de Archipræfulis infortunio; & hic in Holsatiam, ubi Ericum, Iutiæ Ducem, atque ipsius avunculos ad capeffenda in Christopherum arma instigat.

Christopherus interim publicato per regnum edicto, vetat clero sub privatione beneficii, ne sacris imponeret silentium, in sola passim exauditus Jutia, & Romam ad Pontificis appellat contra adversarios tribunal; Deinde arces, urbes, opesque invadit profugorum Antistitum, & castrum in Borenholmia Hamarshusense Archiepiscopi, diu à fratre hujus defensum, sibi denique subdit. Sed tumultu interno & externo se propediem oppressum iri prospiciens, nisi prudentius sibi quantocyus provideret, Suecorum, Noricorumque implorat auxilium, ac sperans, sequestribus Jutiæ Episcopis, hostes sibi reconciliandos, Ripam festinavit.

Primordio etiam veris, Christina Haquini filia, Philippo à Sibilieburg, germano Regis fratri desponsata, octiduo secundum Pascha, ipsi solenniter copulatur; Quando inter Norvegiæ & Castiliæ reges fœdus in hostes percutitur, illo Suecum, Danum & Anglum; hoc Gallum, Anglum & Arragonium, excipientibus. Quo tempore Haquinus, & Birgerus, Christopheri petitione impulsus, arma parant auxiliaria; Romanus quoque Antistes, Petri Roschildensium Præfulis nactus literas, de Primatis Danici querentes infortunio, Petri suasu ejusdem hortatur Jarimarum, Rugiæ principem; & simul fortassis Holsatiæ Comites, ad restituendum libertati captivum Archipræsulem, Danicamque à tyrannide Christopheri vindicandam Ecclesiam; Hincque etiam illi contraria comparant subsidia. Illo autem temporis intervallo, Christopherus Ripæ constitutus, illuc Jutiæ vocat Episcopos, ipsorum usus operâ in flagrante componenda discordia; Ibi quoque convivio exceptus ab Arnfasto, Arhusiensium Præsule, suo inimico reconciliato, per ipsum mortifera necatus potitione, XXIX Maij, perhibetur, in basilica ibidem, regali mox pompâ tumulatus.

Holsati porro copiis jam apparatis, utramque impugnant Jutiam, &

Rugiani, Petro secum præfule accepto, Sielandiam invadunt. Nec Margareta, Christopherei vidua, despondens animum, filii loco minorennis dexteram clavo prudenter admovet, & hostibus utrobique innumeram objicit plebeculam. De qua Jarimarus in Sielandia X millia trucidavit, arcemque Hafniensium regio ademptam præsidio, diruit. Postea in Boreholmiam profectus, Hammarshusium quoque expugnatum, solo adæquavit, indeque Scaniam ingressus, à quadam occiditur fœmina, dum hujus ædes popularetur. Itaque Jarimaro, totius belli archistratego cæso, reliqui commilitonum, ad transigendum cum adversariis procliviores, reddebantur. Quibus cum Margareta hac pacem inivit conditione, quod inter suos & Abelis liberos, de throno litigantes, aliquot annorum vigerent induciæ; Archipræsul libertate interim fruiturus pristina; suamque Romæ causam profecturus, & Albertus Marchio Brandenburgensis, hostium quoque unus, dotem ex regno maternam esset percepturus.

Hujus verò ignari transactionis Suecus & Norvegus, cum instructissima in Daniam classè appulerunt, quibus de obitu Jarimari, atque transactione cum reliquis hostium facta protinus informatis, singulares Margareta persolvit gratias, & præsertim Birgero, quod pluris sanctissimum fœderis jus, quam arctissimum cum privignis & affinibus Jutiæ, Holsatiæque principibus, vinculum æstimaverit.

Anno MCCLX. Ericus, Christopherei filius undennis, regia Danorum capessit insignia, prudenti matris fruens aliquandiu operâ in regni gubernatione, istoque simul ordinum conventu, Archipræsulis liberatio fuit approbata, ut facilius patriæ incendium extingueretur; sed illam, & simul cathedram respuit Lundensem, donec suam causam summus Romæ Pontifex recognosceret, justamque in adversarios sententiam ferret. Proinde ad tribunal Alexandri IV. utrinque provocatur, & cum lentius illic procederet actio, per XVI. annos Dania interdicto adhuc flagellatur.

Idem quoque Alexander, à presbyterio sollicitatus Upsalensi, XVI Februarii, reliquos Sueciæ Gothiæque hortatur Præfules, ut prompta Upsalensis templi, velut metropolitani, ferrent subsidia fabricæ. Illo autem tempore, illustrissimus Sueciæ Princeps Birgerus, strenuam magis operam impendit cingendæ mœnibus Stockholmiæ, castroque firmandæ, non amplius præcelso, imminentes civitati montes, & præsidia hostibus præbentes, formidaturus. Sub uno ibi montium perampla viguit modo spelunca Eremitarum, ad quos frequens hominum fiebat concursus, non paucis continuatus seculis, donec sublatis morte Heremitis, subterraneum latrones occupassent domicilium, multosque hominum jugulassent, & reges illa permoti causa, spelæum ingesta humo replevissent. Interim Haquinus Norvegiæ rex, transmissis in Daniam legatis, sponsam filio promissam flagitat, Ingeburgem, qui cum grato de virgine, propediem illuc destinanda, redeunt inde responso.

Anno MCCLXI. Jacobus, Daniæ Archiepiscopus, pristina donatus libertate, potestateque, in Sueoniam profugit, indeque missis in urbem literis, Ericum regem tyrannidis, & præsertim hujus parentes, Christophereum atque Margaretam, vehementer accusavit. Hæc itaque se & filium excusatura, suos ad Urbanum IV, expedit oratores, qui simul Archipræfulem Roschildensem & Ottoniensem, Episcopos, variis ibi criminibus onerarunt, affirmantes inter alia, hunc etiam proprio confessum ore, quod persuaserit Abeli, S. regis Erici captivationem, & impensè obsecrantes, ut regnum ab interdicto, ac hujusmodi liberaretur perturbatoribus.

His porrò Ericus, Jutiæ Dux, & ipsorum fautoribus, ad partes denuò suas pertractis, ducatum sibi contumaciter flagitat hæreditario jure concedendum; Quod regis minorennis tutores abnuentes, asserunt ipsum & fratrem Valdemarum, hostibus nuper Daniae patrocinando, si quid hujusmodi juris ad præfatam habuissent provinciam, universum amisisse. Quamobrem Ericus armis ducatum subjugaturus, ipsum auxilio invadit avunculorum, & obvias hostium copias, XXVIII Julii, sub Slesvico sternit, regem ipsum cum matre, belli consultrice, & multis procerum Danicorum, captivos abducit, ac Jutiam Daniae subducit australem. Illud autem regis & matris cognoscens infortunium Archiepiscopus, in patriam lætus postliminiò remeat, ac adversariis evadit formidabilis, intolerabilisque.

Sed ante regis profligationem, Haquini venientes in Daniam legati, novam inde nurum per mare, Bergam Norvegiæ, regio fastu deduxerunt, ubi mense Augusto regali magnificentia, Magno, primum coronâ regni donato, copularetur. Quando etiam Islandi, qui Norvegiæ aliquandiu rebelles fuerunt, domesticâ impulsu seditione, cum Haquino & Magno in gratiam redeunt, petuntque, ut rebellionis plecteret authores, ac patriæ mulctaret perturbatores.

In Dania vero Canutus, Lolandiæ dux, mortis succumbens imperio, Erico provinciam filio transmisit; Adolphum quoque, olim Holsatiæ gubernatorem, & deinceps monasticæ sectatorem, eadem inexorabilis diva, XX professionis anno sustulit. Crudeliori tamen fato, præsul Borglamentiensis, Olaus, interiit, à quodam viro equestri, Johanne Glop, trucidatus, & propterea diocesis, orba Episcopo, à Divinis diu cessavit officiis, vindictamque imploravit. Tum Nestvadense in Jutia conflagravit cœnobium, quod propter crebra incendia translatum aliò, Schogensè fuerat deinceps nuncupatum.

Anno MCCLXII. Jacobus, Daniae primas, in ducatum profectus Slesvicensem, Erico illius Domino persuasit, ut Margareta regina custodiæ traderetur arctiori, velut potissima totiùs in patria tumultus origo. Hinc ea vehementius commota, literis ad cognatum expeditis, Albertum ducem Brunsvicensium, leviri sui S. Erici regis focerum, impensè illum obsecrat, ut miserabilium invigilet captivorum liberationi. Is proinde cum aliis Germaniæ principibus, Ducem & Comites in Holsatia hoc super negotio conveniens, Reginae, quibusdam conditionibus, libertatem impetrat; sed regem Ericum, ejus filium, Hamburgi detentum, Otto Brandenburgensem Marchio, suscepit deinceps custodiendum, propterea Comitibus Holsatiæ, VI millia librarum argenti relaxans, & Randersburgum pro his pridem sibi oppignoratum resignans, ex lytro per captivum postea numerando, suam percepturus solutionem. Margareta vero regina, ut se gratam Alberto propter tantum præberet beneficium, ipsi, consensu ordinum regni, clavum assignat, ab illo, donec filius liberaretur, gubernandum. Alia etiam hujus fuit causa promotionis, quod non ignoraret Margareta, iisdem offensum Præsulibus & proceribus Albertum, ob generi S. Regis Erici cædem, quibus illa esset propter mariti & filii infortunium. Quamobrem tantas vindicaturus injurias, principio sui regiminis, in harum authores multa desæviit crudelitate, politicos & ecclesiasticos; Ab hisque propterea plebs instigata, in regno passim adversus crudelem nimis gubernatorem, valde tumultuatur.

Nec Regina interim ex parte sua vindictæ indormiit; Siquidem facta supplicans Urbano IV, nuper electo, lamentabiliter suo, suorumque nomine de Archiepiscopo, & quibusdam regni queritur Episcopis; Unde
motus

motus Pontifex, per M. Gerhardum transmissum in Daniam legatum, Archipræsulem ad Romanum citavit tribunal, illic Regina querelis responsurum. Et quandoquidem nollet ille citationi obtemperare, gravibus contumacem Nuncius implicat censuris, quas similiter ipse contemnens, divina nihilominus administrat officia, vehementerque idcirco Urbani contrahit indignationem.

Turbis quoque domesticis, non minus apud Sueones fuit annus præfens fœcundus; Nam Folchungi, Duce Carolo illorum primario, novam commovent Birgero rebellionem, & grandibus utrinque cohortibus comparatis, ad pontem consistunt Vesmanniæ Herevadensem ambo exercitus; Ubi sublatis tabulis, cum interlabente fluvio à congressu prohiberentur, eminus aliquandiu telis se missilibus impetunt. Dux autem Birgerus, aperto se nihil Marte effecturum animadvertens, ad nefarios convertitur dolos; Etenim adversariorum potissimos sub fide publica, literarum documentis & horrendis roborata juramentis, in sua evocat castra, prætendens se paratum, amico colloquio ipsorum satisfacere gravaminibus; Quibus seducti persuasionibus comparent inermes, apprehensique, actutum obruncantur; Quæ perfidia principis hætenus nomini turpissimam apud posteros labeculam asperfit, licet illam coram Deo, hominibusque sit conatus diluere. Huic etiam affinis piaculo præful Ostrogothiæ, Colo, quod suo pariter juramento molitionis omnino ignarus Birgeri, Folchungis spondidisset vitæ securitatem, nihilominus cæsis, se officio abdicat Episcopali, perjuriumque expiaturus, Hierosolyman proficiscitur, quo piam exhalavit animam itinere.

Nec Birgerus tam facile illusisset Folchungis, si horum antesignanus adfuisset illo tempore Carolus; Quem proinde ab illa servatum laniena, multis fraudulenter officiis studuit Dux placare; Ideoque Carolus, suæ consulturus vitæ, patriâ relictâ, in Prussiam ad sacram Crucigerorum militiam postea secessit, plurimaque ibi facinora adversus Ethnicos, Christi hostes pugnando, herôica gessit.

Nec in Norvegia à bellis erant feriæ; siquidem intelligens Haquinus Sudorensium insularum cultores, à Scotis vastatos, in publicis regni comitiis, bellum in hos decernit, illucque præmissis IV navigiis, quæ arcem hostium quandam limitaneam demolirentur expugnatam, & accolæ popularentur, ipsemet subsequitur Haquinus, relicto domi filio Magno, cum CXLVI navium classe. Is autem ad Orchades primum delatus, suum ibi vasallum, Comitem Magnum, accipit secum. Deinde sub Millerfundium proventus, obvios Manorensium & Sudorensium Regulos insularum beneficiarios, expedit cum navibus L, milite instructissimis, insulæ Nilensis inhabitatores impugnatum, subjugatumque; sed illi visâ hostium potentiâ, sponte se Norvegiæ subdunt imperio, quod ipsum faciunt australes ipsorum accolæ. Scotus vero tot insulis amissis, Haquini postulat colloquium, in quo frustra illas reposcit, quod Haquinus luculenter ac evidenter demonstraret, ipsas olim ab uno majorum, antecessorumque, videlicet Magno Nudipede appellato, fuisse subactos, ac paratus idcirco esset de illis denuo belligerare. Atque cum Scotus neutrum vellet acceptare, occupatas suo firmat præsidio insulas, Haquinus; Scotiam vastat, & sub brumæ initium victor ad Orchades remeat; Ubi delegit hyberna cum XX navigiis, reliquam expediens classem, Octobri exeunte, in Norvegiam. Sed modo in Sueoniam reversus, depræhendo Laurentium illius Archipræsulem, edicto, Calandis Majis, promulgato, prohibuisse, non solventibus ante solennia Paschæ decimas, in ipso resurgentis Christi festo, Eucharistiam porrigere, nec etiam deinceps, nisi mortis articulo constitutis.

Anno MCCLXIII. Carolus ille Folchungorum princeps, in Prussiam abituriens, virginum cœnobio Schogensium, quod patruus olim suus condidisset, propinquum, nominis ejusdem, suum legavit hæredium, & voluntario patriam exilio commutavit. Tanto itaque liberatus adversario Dux Birgerus, à Folchungorum molitionibus regnum magis impofterum fore securum arbitratur, & propterea stabilem domi nactus quietem, legatis in Daniam expeditis, promissam filio Valdemaro Sophiam, S. Erici filiam, postulat; Quam non difficulter impetratam, Albertus illius avus maternus, Jenecopiam Gothiæ perduxit; Ubi rex Valdemarus, binis Daniæ civitatibus, Malmogiâ nimirum & Trelleburgo, in dotem acceptis, cum illa matrimonium consummavit, ex ipsaque deinceps Ericum, Rechissam, Marinam, & Sophiam, liberos illustrissimos propagavit. Verum, V. Novembris die, inter superstites S. Erici filias, Sophiam, Ingeburgem, Agnetam & Jutham, bona dividuntur hæreditaria, quorum aliqua sibi nullo jure vendicans postea Ericus rex, à Norvego illorum domino legitimo, diu impugnatur.

Harum porrò tertia sororum Agneta, conjugii non appetens, monacham Roschildiæ proficetur, ibique facta virginum Antistita, Jutham diu secum detinet, cui frustra vitam suadet monasticam. Interim Albertus, illarum avus, ut expilator, non gubernator, rempublicam Daniæ administrans, omnium odium incolarum incurrebat, & præsertim Scanorum, à quibus cædi destinatus, Helsingburgum profugit, illicque à furenti obsessus plebecula, inde cum multa difficultate clanculum in cymba evasit in Holsatiam. Ac liquidò perspiciens, suum Danos regimen haud diutius toleraturos, Comitibus Holsatiæ & Brandenburgico Marchioni, Regem suadet libertati restituendum, illique his persuasi conditionibus, quod Duci Erico Jutiæ Ducatum sub consueto permittitur esset feudo; Lytri nomine VI. millia librarum argenti defæcati pensurus, & Agnetam, Alberti Marchionis Brandenburgici filiam, accepturus conjugem, ipsum vinculis absolvunt, thronoque restitunt; Is autem libertate potitus, intelligit quantum illam Archiepiscopus fuerit conatus impedire, & novo Urbanum IV. obsecrat libello supplici, ut se, patriamque ab inquieto dignaretur Antistite quantocyus liberare. Interea temporis Haquinus, Norvegiæ rex, in Orchardibus per hujus anni curriculum, morbo colluctatus lethali, & ab ipso tandem superatus, XV Decembris, illic de vita migravit.

Anno MCCLXIV. Funus Haquini perlatum in Norvegiam, Bergæ, XXII Martii, sepulchro commendatur, illudque lacrymis Norvegi merito profecuti, quod Haquinus toto regiminis sui tempore, non tam regia usus auctoritate, quam paterna foret in ipsos charitate. Ex monachorum verò familiis, addictus potissimum fuit Franciscanis, quibus propterea Bergæ, ac Tonsbergæ operosa extruxit domicilia. Sed Magnus, post obitum parentis, integrum adeptus regni dominium, cum Alexandro, Scotorum Rege, pacem inire fatagit, quam ille prorsus respuit, quod plurima regni sui portio à Norvegis nuper subjugata, & reliqua Scotiæ ditio crudeliter esset vastata, flagitans insularum restitutionem, & damnorum compensationem. Superiori autem anno, illustris heros Carolus Folchungus, ordini Crucigerorum in Prussia adscriptus, cum ipsis modò festinat in Livoniam, contra Lithuanos, illic infestos Christianis, pugnaturus; Ubi postquam integro cum gentilibus die belligerasset fortissimè, demum pro Christo in campis Durbensibus, gloriosè admodum occubuit.

Interim Urbanus IV. minus veraciter per Ericum Regem, de Jacobo, Daniæ Archiepiscopo, informatus, Quardiano mandat Lundensi, & Priori simul Halmstadiensi, ut Præsulem accedentes, cathedram, infulamque,

ab illo reposcerent; Quem etiam peculiaribus hortatur literis, ut sponte resignaret officium, his præsertim de causis; Nempe, quod in spiritualibus & temporalibus, Lundenſi nocuiſſet eccleſiæ, adeo quod cum ipſa prius VI. millia aureorum percepſſet annuatim, vix modo C. confequatur; Quod fidelitatis juramentum, Regi præſtitum, transgreſſus eſſet, bellum ipſi movens, in quo plurima hominum millia innocentium occubiſſent; Quod inſuper ſupremo ſe oppoſuiſſet Regi Chriſto; Megtildi Abolis viduæ ſuadendo, ut contra votum nuberet Duci Sueonum; Orationem pervertendo Dominicam, & Symbolum tranſmutando Apoſtolicum; Quod Olaum Borglamenſi, & Arnfaſtum Arhuſienſi, ſceleribus contaminatos, inconfultâ ſede Romanâ, confecraſſet eccleſiis Antiftites; Quod denique contemptâ citatione Apoſtolicâ, Romæ non comparuerit, & contra prohibitionem, excommunicationemque, officio eſſet functus Archiepiſcopali.

Iſto proinde Jacobi animatus infortunio rex Ericus, Hammarſhufienſem ipſius in Borenholmia munitionem, ſtatuit impugnandam.

Anno MCCLXV. Illud occupat Eccleſiæ Lundenſis in Borenholmia caſtrum Ericus fortiffimum, & hanc, aliasque Archipræſul injurias, ſibi à Rege irrogatas, probaturus, criminaque falſo objecta confutaturus, audita Urbani hoſtis ſui de vita migratione, & Clementis IV ſubrogatione, Romam lætus properavit.

Anno MCCLXVI. Poſtquam Clemens IV, in confeſſu Cardinalium, Danici Regis accuſationem, & Archiepiſcopi auſcultafſet, ponderaſſetque reſponſionem, Daniam verſus ablegavit Guidonem, S. Laurentii in Lucina Cardinalem, tali cum mandato, ut inprimis ſpoliatos officiis & beneficiis, Lundenſem, Roſchildenſem atque Ottonienſem, reſtitueret Præſules; Deinde relaxaret interdictum, & tandem partium gravamina examinaret. Legatus itaque Daniam ingreſſus, Regem his de rebus compellat, ſimul illi manifeſtans, Pontificiam inſuper eſſe voluntatem, ut XXIV procerum Danicorum literis & juramentis ſponderet, ſe fideliter his ſatiſfacturum. Sed quandoquidem intelligeret, Ericum poſthabitâ reſtitutione, jure primum velle cum adverſariis decertare, illum deſeruit, & aliò profectus, illum contumacem & matrem peremptoriè Slevicum citavit, ubi XXVI Septembris, per ſe vel ſuos procuratores eſſent reſponſuri præſulibus. Citationem vero Ericus nactus, XXVI Auguſti, literis Ripæ publicatis, contra ipſam proteſtatur, demonſtrans, illo loco nec ſe, vel ſuos poſſe tutò comparere, quod in hoſtico poſitus, & Slevicum ſibi, majoribusque fuerit plerumque infortunatum, atque propterea obſecrans, ut intra regni limites illud celebraretur judicium, & ſuos hac de re Oratores ad Guidonem expediens.

Verum legatus ſummopere offeſus, quod nec Slevici vellet Danus comparere, nec ſpoliatos ante juris proceſſum reſtituere, ipſum, matrem & ſectatores, defenſoresque excommunicat; interdictum per Daniam renovat, & Lubecum progreſſus, hujus mandat Epifcopo, ut ſub officii privatione, illam anathematis ſententiam quolibet die Dominico, in ſua præmulgaret diœceſi, adverſus quam, ipſosque adverſarios, Ericus ad Romanum appellavit tribunal. Lubeci autem Guido, à Sueonum rogatus Epifcopis, XIII Octobris, Upſalenſi & Lincopenſi concedit facultatem, pœnas transgreſſoribus, ſtatuti Sabinenſis impoſitas, in magis ſupportabiles commutandi. Poſtea Romam legatus revertitur, & cum ipſo Lundenſis ac Roſchildenſis, præſules; Ubi novenniò morantur, & interim lamentabilis fuit Daniæ ſtatus, propter ſacrorum ceſſationem, regisque & reginæ excommunicationem.

Atqui XXI Octobris, illustrissimus, prudentissimusque Sueciæ princeps, Birgerus, vivis excedens, Varnhemiae sepelitur, filiis in mundo his relictis, Valdemaro Sueonum Rege; Magno Sudermanniae, Erico Smalandiae, & Benedicto Finlandiae, Ducibus; Quos inter perniciofa mox suboritur discordia, cum maximo illorum, & patriæ totius flagrans detrimento. Etenim Rex Valdemarus, à superba instigatus uxore, Sophia, fratribus infidiatur, ipsorum potentiae atque magnificentiae invidens, regnique dominium universi clanculum affectans; Nec illi hujus ignari molitionis, eam propter fratri indignantur, tacitosque vicissim dolos machinantur. Sed Megtildis, horum noverca, post mariti obitum voti memor, olim nuncupati, & non servati, de monastico vitae genere, velut Adolphus pater, amplectendo, rationem aliquam meditatur, & cum illustribus Sueciæ quibusdam matronis, quarum una fuerat S. Ingridis, ad sacratiora Christiani orbis loca, aliquandiu peregrinatur.

Hoc etiam tempore, Chetillus, Finlandiae Antistes, consilio Romani Pontificis, & auxilio Valdemari Regis, cujus fuisset antea Cancellarius, in Rendamechi, priscâ Finlandicorum Praesulum habitatione, frequens Collegium instituit Canonicorum. Ast Magnus, Norvegiae Monarcha, Julio mense, cum Alexandro, Scotorum rege, ita demum transegit, quod instillas Manorenses, Sudorenses & Hebridas, pro IV. millibus Sterlingorum talentis ille redempturus esset; Ac inde nihilominus is & successores, quotannis Norvegiae, C. Scoticae monetæ marcas, perpetuò numeraturi; Hujus vero transactionis praevicator X mille Sterlingorum libris multandus, & sacris esset privandus.

Anno MCCLXVII. Haquinus infulâ potitus Nidrosiensi, Ecclesiasticam in Sudorenses, Manorenses & Hebridas, sibi, successoribusque reservavit jurisdictionem, Magnus autem Norvegiae rex, uniformem legum codicem, toto regno promulgavit, ex Frostatingensi, Gulatingensi, Vichenfi & Uplandensi, conflatum libris, operâ juris Norvegici peritorum. Cæterum in Suecia vacantem Arosiæ cathedram, Clemens IV contulit Israeli, Monacho Sigtunensi, viro nobilissimo, regni mandans Archiepiscopo, ut Candidatum initiaret, & acceptum ab illo fidelitatis juramentum erga sedem Romanam, quod hujus esset Commissarius ac Thesaurarius in Sueonia, Romam protinus destinaret.

Anno MCCLXVIII. Scondiae reges, Valdemarus Sueciæ, Ericus Daniæ, & Magnus Norvegiae, ad regnorum congregati limitem, in Fagredal, controversias utrinque subortas, praesertim de patrimonio conjugum, satagunt componere. Quando Laurentium, Sueoniae Archipraesulem, mors V Martii sustulit, Enecopiae in cœnobio veterum contubernalium decenter sepultum. Illi autem substitutus Folcho, Archilevita primus Upsalensium, praenobilis viri Johannis Angeli filius, aliquandiu praestolatur confirmationem & consecrationem, quod Romanensis & Lundensis quodammodo vacarent nunc cathedrae.

Anno MCCLXIX. Haquinus, Norvegiae Archiepiscopus, fatōrum violentiae succubuit, indeque biennium Nidrosiensis caruit Ecclesia praesule. Sophia verò Sueonum Regina, in Daniam profecta, loculum Ringstadii paternum religiose invisit, muneribusque coluit; Quam rex Ericus multâ tractavit magnificentiam, & post illius reditum, regni sui municipiis peculiare condidit leges, veteri Byrcensium codici conformes. Interea Sophiæ maritus domi Valdemarus, & Folcho regni Archiepiscopus, cum nonnullis Sueonum proceribus congregati, testamento subscribunt Caroli Folchungi, bello cæsi Livonico, & praesertim quoad donationem praedii Schogensis.

Anno MCCLXX. Valdemarus, Sueonum rex, ejusdem hortatu Archipræsulis, in frequenti ordinum Sudercopiæ conventu, decernit Regiæ Cathedræque translationem, de nova ad veterem Upsaliam, vulgò dictam Oestraarhus; quod hic basilicæ ultima propediem manus foret imponenda. Cæterum Ericus, Danorum rex, inaudiens Russos & Lithuanos in Livonia grassari; eò regni expedit Dapiferum, Mathiam, non contemnendis armatum copiis militaribus, qui hostibus congressus, occubuit, victoriam Danis nihilominus reportantibus admirabilem.

Anno MCCLXXI. Danus, sub vario causarum prætextu, captavit occasionem impugnandi Ericum, Jutiæ australis Ducem, ut suam & matris probrosam vindicaret captivitatem; Et modò nactus oportunitatem, quod illius avunculi, Holsatiæ Comites, domo abessent, prætensâ quâdam de bonis hæreditariis, ac limitibus, controversiâ, ducatum milite pervadit Slesvicensem, & præter Slesvicum, occupat univèrsam. Sed priusquam se huic accingeret bello, nuptias celebravit Megtildis sororis, Alberto Brandenburgensium Marchioni denuptæ; Quando Ripa flammis vastatur, & Suecia horribili quassatur terræ motu, luctuosam illam præfagiente discordiam, quæ non multo post tempore, velut motus quidam terræ formidabilis, fratres, regni principes, inter tumultuabatur.

Norvegia porro hujusmodi libera portentis, Johannem interea consequitur Archipræsulem.

Anno MCCLXXII. Ericum, Jutiæ principem, mors auferens, litem inter ipsum & Regem ita diremit. Liquit autem ille III filios, Abelem, Ericum & Valdemarum, quorum tutelam Rex, & Holsatiæ Comites, sibi pariter vendicantes, parum à bello abfuerunt, & demum sanctè spondens Ericus, quod regno ducatum, orphanis ablatum, non esset subditurus; sed illum ipsis adultioribus permissurus, tutor, velut propinquior agnatus, pupillorum designatur. Verum in Livonia lis inter incolas & Moscos, armis decernitur; Siquidem Livones hostem aggressi, V. millia Russorum trucidarent, quo etiam prælio cecidit Alexander, Dorpatensium Episcopus.

Hujus autem anni primordiò, Jutta, S. Erici filia, multo flagrans desiderio visendæ in Sueonia sororis, vitâ Roschidiæ monasticâ derelictâ, inde ad germanam festinat; A qua suscipitur, Valdemaroque, immensa benevolentiae significatione; Eoque Rex in amore fuit progressus, ut etiam illicito formosam valde virginem amplexu dignatus, incestuosam ex illa prolem deinceps susciperet. Religiosis tamen operibus simul intentus, Folchonem, regni primatem, ad Concilium transmissit Lugdunense, propriam consecrationem; Upsalensis cathedræ translationem; & B. Erici Canonizationem, illic impetraturum; Quò pariter expedit Norvegus Johannem, Nidrosiensium Præsulem; & Danus quoque suos legatos, Jacobo Archiepiscopo responsuros, & interdicti relaxationem flagituros.

Anno MCCLXXIII. Jutta, incestuoso genuit partu Ericum, ex Valdemaro, Sueonum rege, conceptum, quem Ingeburgis matertera, Norvegiæ Regina educavit, & ipsamet puerpera carceri adjudicata perpetuo, Lindholmæ in Scania scelus expiavit. Ast Valdemarus, idem propter flagitium, similiter Deo hominibusque factus detestabilis, ut tanto satisfaceret crimini, regnum fratri Magno commendat, & Romam inprimis, indeque Hierosolymam peregrinatur.

Interea Folcho, Sueciæ Archipræsul, Lugdunum ingressus, à summo consequitur Pontifice ibi consecrationem; Qui etiam B. Regis Erici consensit apotheosi, & Upsalensis Ecclesiæ translationi, subscribens simul decreto Sabinensis, in violentos cleri hospites prolato. Idem porro

porro motus Folchonis petitione, conquerentis, quod legata Ecclesiis bona, hæredum citra consensum, in Sueonia repetantur, licet secus multò constituerit quondam Alexander III; quod Suecana contributionibus oneretur sæpenumerò Ecclesia, in præjudicium consuetæ immunitatis; quod decimis spoliatur; quod clerus ad forum citetur politicum; quod plerique nobilium, abductas violenter fœminas, sibi nubere cogant, contra matrimonii libertatem, IX Augusti, suâ prohibet bullâ Pontifex, Magno, Sueciæ proregi, legiferis, proceribus reliquis, incolisque universis, ne quid hujusmodi præsumerent impostero committere.

Oratores autem & procuratores Danici regis, ibidem Jacobo Lundensi, ac Petro Roschildensi, Præfulibus congressi, causâ cadunt; Ideoque adversariis Ericus, ex sententia Concilii, XV millia librarum argenti pendere compellebatur, spoliatos officiis & beneficiis, proventibusque, restituere Antistites, non prius ab interdicto liberandus. Quo fretus decreto Petrus, in patriam remeat, & cathedram recuperat Roschildensem; Sed Jacobus, resignatâ sponte Archiepiscopâ, ob vitæ solitariæ amorem, & in favorem Erlandi contribulis, Archilevitæ Lundensis (qui propterea simul à prsbyterio concorditer fuit deinceps domi nominatus) monasticen in Rugia amplexatur. Verum Rex Ericus contrariæ magis vitæ cupidus, Slesvici, mensè Novembri, Agnetam, Brandenburgici Marchionis filiam, Alberti, matrimonio sibi copulaverat, nullâ, prout antea cautum, dote acceptâ. Filia verò peregrinantis Valdemari, VIII Decembris, fertur desponsata, filio Johannis Ducis Brunsvicensis. Isto denique anno, Magnus, Norvegiæ Rex, legum codicem Islandicarum, revisioni quorundam, in regno jurisperitorum, submisit, & post septennium Islandis correctum remisit.

Anno MCCLXXIV. Jacobus, Daniæ quondam insignis Archipræful, modò autem humilis monachus, XVIII Februarii, mortuus in Rugia, Lundiam transfertur, ibique tumulo infertur, apud Franciscanos. Ast Folcho, Sueonum summus Antistes, vivus in patriam Lugduno reversus, statuta Concilii promulgat; fabricam basilicæ gnaviter continuat; cathedræ necessaria translationi, & regii corporis elevationi, apparat ornamenta; quæ ramen propter domesticam Regis cum fratribus discordiam, aliquandiu prorogatur; atque VIII canonica fundat illic sacerdotia, IV prioribus adnumerata, liberaliterque dotata.

Sed Johannes, Norvegiæ Primas, Lugduno patriam versus contendens, Lutetiam divertit, quem Philippus, Gallia Rex, honorifice suscipit, & suafu consiliariorum, Magno regi cognato, per ipsum destinat particulam de spinea Salvatoris corona, chrystallo pereleganter inclusam, idque mensè Decembri.

Prius autem Rex Valdemarus peregrè in Sueoniam reversus, fratrem accusat Magnum, diadematis in sua prænsati absentia, nonnullaque ipsi alia exprobrat crimina, & plura sibi auscultat imputata; Unde gravis admodum discordia utrinque protinùs exarsit, quâ regnùm diu miserabiliter flagravit.

Anno MCCLXXV ineunte, Ordines Sueciæ frigidam huic incendio tempeptive affusuri, Stregnesiæ frequentes confluent, ibique simul comparentes discordes regni principes, de imperii Suetici, & fundorum divisione hæreditariorum, magnopere corrixantur; Excepto Benedicto, Finlandorum Duce, qui, ut fratres reconciliaret, suam illis de paterna hæreditate portionem obtulit dividendam. Sed frustra optimus princeps, regnique proceres, laborarunt, cum Magnus & Ericus odio magis inflammati, hinc à Valdemaro fratre discesserint; Et ipsius subverentes potentiam, Nor-

vegi affinis suffultam auxilio, Danum, velut utrique offensum, propter dōtem Ingeburgis ac Sophiæ, ad sua pertrahere vexilla constituerunt.

Quocirca in Daniam profecti, cum Erico Sunderbörgi fœdus in Valdemarum & Magnum percutiunt, ibique insignes nacti cohortes, à Jacobo Hallandiæ Comite, & Stygoto, Daniæ Marschalco, in Sueciam deducendas, Regi promittunt fœderato, VI. millia librarum argenti. Deinde his animosi copiis, patriam repetunt, & alienigenis indigenas conjungunt, de hostiumque adventu Valdemarus tempestivè factus certior, multò grandiore ex Suecia, Gotiaque cogit exercitum; Quo cum ad hostes contendit, & sub nemus veniens Thivegianum, aliquot militum præmittit turmas per sylvam, certam de hostibus notitiam quantocyus relaturas, quos longius abesse sibi persuaserat. Interea ipsemet, cum præcipuo exercitus robore, in Romlaboda subsistens, vino, lusui, jocis, somnoque imprudenter indulget; Quando hostes prodromas aggressi Regis copias, XIV Junii, sub Hova, illas gubernatore destitutas, profligarunt.

Valdemarus porrò suorum interitu, & hostium adventu, cognitis, cum residuis mœstus secessit cohortibus in Vermelandiam, indeque reductus, veniam à fratribus & partem regni, Procerum Sueticorum obtinuit interventu, atque suum uxoris ambitioni tribuit miser infortunium. Postea victrices in Daniam remissæ phalanges, citra plenam stipendii solutionem, & propterea Erico instigante, quod neque sibi argentum integrè foret numaratum, crebras in Gothiam faciunt identidem excursiones. Itaque cum Danus, citra hujusmodi compensationem damnorum, promissi urgeret salarii pensionem, æquo contumacius, Dux Magnus, patriæ misertus, vicissim terrâ marique Hallandiam & Sconiam infestavit, atque hostem sub Rignabro nactus obvium, congressu abstinuit, quod fatigatum & manubiis militem haberet oneratum, domumque properavit. Reducem verò principem, immenso commulavit mœrore, fratris præmatura mors Erici, tumulum apud Varnhemium expetentis, ac obtinentis.

Interim Lugduno reversi Danorum oratores, Concilii monstrant decretum, quod Erlandus, ut præfatus sum, regni designatus Primas, in Synodo publicat Lundensi; Illoque præter alia continebatur, decimas ecclesiarum per annum, expugnationi Saracenorum esse applicandas. Sed finita synodo, Erlandus confirmationem & interdicti relaxationem flagitaturus, Romam festinavit, atque captus in itinere à Rodolpho Cæsare, illi culpam imperii diminuti vehementer imputante, clerum Daniæ per literas obsecrat lamentabiles, ne aliud suæ impenderet redemptioni lytrum, quam supplices ad Deum orationes, quod seni sufficeret emerito, mortique proximo, preciosa Christi sanguine facta semel redemptio. Alius proinde legatus in urbem transmissus, tandem Daniæ ab interdicto impetravit liberationem. Ast veris initio Johannes, Archipræful Norvegiæ, in patriam Lugduno primùm regressus, Magno donum Philippi Regis solenniter obtulit; Quod ille amplexatus cupidissimè, religiosissimeque osculatus, Bergæ in ecclesia XII. Apostolorum, reverenter deposuit conservandum, ac IX. annuatim die Novembris, postea solenni festivitate colendum proposuit, illo propterea die, aliquot deinceps seculis festum spineæ coronæ per Norvegiam celebrabatur.

Anno MCCLXXVI. Danus cladis meditans vindictam, à Sueco nuper inflictæ, Valdemaro Regi clanculum persuadet, fratris impugnationem, & throni recuperationem, liberalissima promittendo subsidia; Hinc inconstans aliàs homo, Valdemarus seductus, Magno in Sanda moranti, per literas significat, quod nisi regnum fuerit integrum quantocyus sibi restitutum,

tum, pactis nequaquam sit adhæsurus, passusque meritò repulsam, cum uxore ac liberis in Norvegiam ad Magnum secessit affinem. Ibi autem copias nactus auxiliares, simulque ex Dania, quas Palno Huit, ac Benedictus ab Alsnö, ducebant, proximâ Gothiam australem populatur æstate. Nec Magnus, Dux Sueonum, diu hostem in regni visceribus grassari passus, contra ipsum expedit Ulphonem Caroli, Petrum Porse, & Uffonem Diur, heroes bellacissimos, non paucis armatorum millibus succinctos; A quibus Valdemarus insigniter debellatus, cum reliquo profugit in Dania milite, plurimis Danorum & Noricorum in Suecia per mortem remanentibus, quos inter ipsimet fuerant Danicorum & Noricorum agminum ductores, Palno, atque Benedictus.

Solius porrò flammæ, modò basilicæ Vexionensi, Valdemarum pœnituit suâ culpâ injectæ, & propterea suum huic Ecclesiæ deinceps legavit hæredium, Tollegarn, id jugiter possessuræ.

Verum ordines Sueciæ, isto nihilominus incendio, velut etiam reliquis patriæ detrimentis, à Valdemaro hac vice illatis, ipsiusque perfidiâ insigni, variis perjuriis, incestibus, & aliis enormibus commoti flagitiis, illum omni ad thronum Sueciæ, liberosque privarunt jurisdictione, quam Magno fratri, licet plurimum reluctanti, assignarunt.

Quo temporis intervallo, Danus, celebratis Nyburgi comitiis, Ericum filium anniculum, sibi obtinuit successorem, procerum consensu omnium, præterquam Stygoti Andreae, Marschalci; Qui propter constupratam conjugem suam, quando absens in bello fuerat Suetico, Regi adultero erat infestissimus, ipsique & filio tacitum machinabatur infortunium.

Quando etiam Norvegus iniquum censens, quod alienigenæ in urbe negotiantes Bergensium, indigenis omne præriperent mercaturæ lucrum, peregrinorum immutavit privilegia; Ideoque mercatores Vandalici, non modicâ flagrantes indignatione, nullam infrugifero regnò annonam importarunt, & illud simul impugnarunt. Sed, XXII Augusti, captivus Lundensium Antistes, Erlandus, ærumnosam in carcere vitam clauserat, illique Thrugotus mox subrogatus, Romam proficiscitur; Ubi Nicolao III, numerat pro pallio IV millia aureorum, gratis fermè antecessoribus prius collato, quod non pauci successorum annis deinceps multis precium solvere cogebantur.

Anno MCCLXXVII illucente, grandibus stipati copiis, Ericus & Valdemarus, Reges, Vestrogothiam Sueciæ ingrediuntur, Axevaldioque, hujus provinciæ limitaneo castro, protinus occupato, in illo, eb Epiphania Domini, usque sollennia Paschæ commorantur, & accolas prædantur. His autem Magnus subsidium non tulit, quod ipsimet cesserint Valdemaro in divisione regni, & suæ fuerit Uplandiæ intentus defensionis, hostibus in hac multiplices objiciens laqueos, quorum haud ignari, Ostrogothiæ ac Uplandiæ ingressu consultius supersederunt. Interea Proceres utriusque nationis, amantiore pacis, Reges atque Ducem sua permoverunt consilio, ad subscribendum paulisper induciis; Quarum initio, videlicet XXIV Januarii, metropolitana transfertur regni cathedra de nova veterem ad Upsaliam. Simulque Folcho regni Archiepiscopus, corporeas S. Erici exuvias, pristino levatas tumulo, & argenteo affabrè deaurato locatas scrinio, Rege Magno atque ordinibus regni comitantibus, actumque suâ honorantibus præsentia, curat ad eandem sollenniter admodum deportandas. Impositæ verò fuerant aræ, constitutæ in sacello ligneo, intra muros templi nondum consummati, fabricato. Cæterum deinceps, quotannis per aliquot seculorum decursus, præ-

fatus cum S. Erici corpore locus, XVIII Maji, quando ille martyrium subiisset, in maximâ hominum frequentiâ, inter novam & veterem, ultro citroque deferebatur Upsaliam; Ipsique labarum divi Regis, Lugduno huc nuper transmissum, & argentea panoplia ejusdem, fuerant semper prælata. Tantâ insuper observantiâ Sueci, Gothique S. Ericum prosequerentur, ut ipsum regni designaverint Patronum, & illius effigiem, trina gestantem aurea diademata, ex una stemmatis Suecici parte usurpaverint; Stockholmiaque, velut Regiæ, faciem ejusdem, cæsarie venustam, pro insignibus assignaverint. Verum enimverò, IV Julii die, veterum ossa Præfulum, etiam priscam ad Upsaliam, ex nova deportabantur omnium, præter Olai primi duntaxat, & communi condebantur monumento. Ex antiquis porrò documentis invenio, festum Upsaliæ Patronorum, Dominicâ octavam visitationis Parthenicæ sequente; Et reliquiarum ibi quiescentium, Dominicâ festo S. Matthiæ proxima fuisse olim celebratum. Sed interim hoc anno Magnus ad colloquium à Regibus invitatus, & fide publica donatus, ipsos intrepidus accessit; Quibus cum, post multas sermonum velitationes, ita litem diremit, quod ipsemet Sueciâ, & regio fruturus esset titulo, Valdemarus, Gothiæ regno, & Ericus, promissi ante biennium argenti percepturus foret solutionem. Pactis autem firmissimo literarum robore confirmatis, Ericus in Daniam remeat, unâque Valdemarus illic bienniò remanens, & Magnus exoptatam diu pacem dominatus, Upsaliæ festo sacratissimæ Pentecostes, regia capessit insignia, quæ ordines regni pridie ipsi spondidissent, in prato Morensi.

Cæterum Turgothus, Daniæ maximus Antistes, Româ modò reversus, Lundia, XXIX Junii, primis operatur sacris. Atque Margareta Regis Danici mater, justis patrum Revaliensium inclinata precibus, XXX Augusti, facultatem illis concedit, sede illic vacante, sibi Præfulem nominandi, quod priores Daniæ Reges hætenus factitarunt. Verum, X Augusti, Norvegus veteres Ecclesiasticorum & Politicorum in suo regno dirempturus lites, in Comitibus Tonsbergensibus, omnem sibi & Successoribus Ecclesiasticam ademit jurisdictionem, quam priores Norvegiæ Reges, super Clericorum litigiis; Ecclesiarum immunitatibus; decimis; peculiis; horum alienationibus; votis; testamentis; usuris; perjuriis; schismatibus; anathematibus; scortationibus; adulteriis; incestibus & conjugiiis, similibusque, ad forum casibus Ecclesiasticum spectantibus, injustè sibi arrogassent, multas tamen ex his causis, regio debitas fisco, sibi, successoribusque reservans; Deindè Præfulibus regni facit potestatem, quos liberent, ordinandi sacerdotes; ad quælibet promovendi beneficia, regibus & patronis penitus inconsultis; sibi pariter ac successoribus pristinum adimens jus, Archiepiscopum, ac Episcopos eligendi, & portorium navigii cujuslibet, Islandiam adeuntis, cathedræ impertiens Nidrosiensi.

Johannes verò Archipræful, ordini vicissim gratificaturus politico, jurisdictioni prorsus renunciavit, quam ille, prædecessoresque dono Magni regis, Erlingo geniti, in hunc usque diem usurpassent, in Regum designationibus, sibi, & successoribus, cleroque, illo saltem casu prima reservans vota, quando ac quoties hæreditariâ Regum deficiente progenie, suffragiis aliunde Rex esset nominandus.

Magnus porrò Sueonum Rex gloriosissimus, ut si quando ab hostibus imposterum aliquibus impeteretur, ab externis etiam principibus, beneficio affinitatis opem consequeretur, Hedvigem, qualibet illustrem virtute virginem, filiam Gerhardi, Holfatorum Comitum, qui novercæ Megtildis frater erat germanus, postulat conjugem, illâque potitus sponsâ, Calmarniæ, Novembri mense, nuptiarum peragit solennia; Hedvigis autem Magno clarissimam

nam genuit deinceps sobolem, Birgerum, Ericum, Valdemarum, & Ingeburgem, horumque parentes, hac etiam tempestate, in celeberrima florent apud Sueones memoria, propter eximia in ipsos collata modò beneficia. Erat denique Magnus mirus experientiae militaris, urbanitatis & omnis politicae amator elegantiae; Ideoque insignibus propositis salariis, undequaque indigenas & alienigenas, hujusmodi praeditos dotibus, studiosè conquisivit, ut aula illius non minus propemodum viris floreret heroicis, quam famosa priscis seculis Arthi Britannici familia. Hinc non pauci Germaniae Principes, & praesertim Brandenburgenses, ac Schovenburgenses, provocati, amicitiam, foedusque cum Magno cupidè admodum amplectebantur; A quo Schovenburgicus praeterea, DC marcas in annuo habuit stipendio, laturus eas propter peculiare Sueco, quoties necessitas postularet, subsidium.

Anno MCCLXXXVIII. Nobilissimus Sueoniae Archipraesul Folcho, III. Martii, infulam capulo permutavit, successorem consequens Jacobum Erlandi, qui XV Maji, suae impetravit Ecclesiae immunitatem, à quibuslibet exactionibus, quod singularem illa nupero bello tulisset Regi opem. Hac vero libertate Antistes ditatus, decimum tertium Upsaliae Canonicum instituit sacerdotium, liberaliter proventibus ornatum. Isto praeterea tempore, S. Brynolphus, Algoti Folchungi, Vestrogothorum nomophylacis filius, & Lincopensis Decanus Ecclesiae, Scarensem adipiscitur cathedram; Et S. Ingridis cum illustri vidua Megtilde, aliisque heroinis, matronis & virginibus, à Compostellana, Romana & Hierosolymitana in Ostrogothiam reversa, Scheningiae aream pro cœnobio virginum S. Augustini statuta sequentium, subsidiumque à civibus, insigni quodam percussis miraculo, fabricae liberalissimum obtinuit.

Verùm ad politica redeat calamus hujus anni negotia. Norvegus uxoris patrimonio per Danum hactenus nullo jure defraudatus, ipsum Vandalicis etiam armis instructum, in campis aggreditur Scanorensibus, ibique profligatus, litem consensu adversariorum Sueco decidendam submitit. Itaque Magnus Calmarniae partium gravaminibus, & rationibus prudenter examinatis, Norvegum Dano, uxoris dotem percepturum, Vandalicisque mercatoribus reconciliavit facultatem habiturum imposterum, à III Maji die, ad XIII Septemb. Bergae negotiandi, à vectigalibus immunem. Quae ibi diutius haerentes, citra ullam soluturi tergiversationem, ac vicissim in Vandalorum emporiis, simili omnino gavisuri praerogativa Norvegi. Deinde propria Magnus in eodem conventu haud negligendum ratus gravamina, cum Erico Danorum Rege, super damnis suo regno nuper illatis, & non compensatis, vehementer exoptulat, flagitans, ut eapropter Danus aliquantum de summa argenti, à Sueonibus pendenda, firmioris ergo pacis, relaxaret. Hinc Ericus meritò persuasus, bina librarum millia detrahit, & pro residuis IV millibus, Ludosiam in pignus accipit, Suantopolcho, procerum Sueticorum uni, commissam, ut quotannis numeraret sibi, C. argenti libras, ex castris redditibus collectas, quoad esset sibi integrè satisfactum.

Erat porro Suantopolchus natione Prutenus, & progener Suercheri Regis, ob multam rerum experientiam, Magno Regi percharus; sed multò tamen ipsi fuit charior quidam Ingemarum, Danus, utpote, cui filiam sororis Christinae, Helenam, non dedignatus est dare conjugem. Proinde cum isti, multique peregrinorum alii, primariis in regno dignitatibus fruerentur, optimates indigenae, & potissimum Folchungi, graviter indignantes, quod illic privati essent functionibus, bi-

nis ad Regem Præfulibus expeditis, ipsum seriò hortantur, ut memor juramenti, sua in coronatione præstiti, majorem haberet rationem indigenarum, munia regni distribuendo, quam alienigenarum. Magnus autem oratione legatorum intellectâ, respondit, ipsos non ignorare, ut clavum Sueciæ feliciter gubernet, se talibus indigere consiliariis, quibus intra, extraque regnum utatur; rerum prudentiâ; literarum scientiâ, & linguarum peritiâ, morumque decentiâ convenienter præditis; Quales ubi ordo patriæ nobilis compararet animi, corporisque dotes, officiis in regno, suæ competentibus proficiâ, nequaquam defraudandum; Interea verò se idoneâ exterorum operâ usurum esse, nec pluris umbratilem quorundam Sueonum nobilitatem, quam solidam perplurium virtutem peregrinorum, ullatenus æstimaturum. Quo Magni responso, Folchungi plurimum exacerbati, simulque fortassis à Valdemaro clam instigati, in Regis & servitorum exoticorum, tacite conspirarunt perniciem. Deinde cognoscentes Folchungorum potissimi, Johannes Philipsonius, Anundus Sture, Johannes Carolius, & Philippus à Rumbi, non paucos hujusmodi peregrinos, Regis consultores, cum Hedvige Regina, Scaræ parentem Gerhardum excipiente, congregatos, illuc festinant; Atque hortati primò Ingemarum, nè cum optimatum Suericorum contemptu, in præcipua se ingereret regni officia, & arrogantius nacti responsum, facto in ipsum impetu, illum trucidarunt; Comittem, Regis focerum, captum, in castro Imseburgensi servarunt; Reginam in cœnobio latentem, frustra indagarunt, auxiliariis passim armis comparatis, Jenecopiam, velut furiosi, oppugnarunt.

Anno MCCLXXIX. Hedvigis rebellium insidiis subducta, pertristis ad maritum rediit, conquerens de parentis captivatione, & Folchungorum seditione. Quos Magnus armis compefcere ratus consultum minus, propter sectatorum frequentiam, & fautorum in regno, extraque potentiam, blanditiis cœpit homines feroces delinire; literis ad ipsos crebrò perscriptis, illorum deprædicat subdolè generositatem, animositatemque, quod Thrasonibus hujusmodi Germanis, atque Danis congregari non formidarint, affirmans, pro heroibus verè generosis & bellicosis, ipsos impostorum æstimandos, honorandosque. Quibus illi blandimentis seducti, carent receptui; obsidionem deserunt Jenecopensem; Gerhardum libertati restituunt; arma deponunt; vocatique Scaram amicissimis à Rege literis, illuc confidentius, quam prudentius se conferunt; ibi siquidem protinus compræhensi, Stockholmiam transmittuntur, & pro meritis deinceps plectuntur.

Valdemarus autem spe frustratus suâ, de throni per seditiosos recuperatione, perfidiam simulat, & in patriam regressus, Magno se infinuat, primum in Aschanes, & postmodum in prato Morensi, dominio se abdicans Gothiæ, ex hæreditariis solum proventibus impostorum victurus, vitamque privatam acturus. Quare Magnus, utroque potitus regno, se Regem Sueciæ, Gothiæque occæpit scribere, quo antecessores, post obitum Schotkonung, non sunt usi titulo; Sed Magni successores eundem hætenus usurpare, sibi perquam gloriosum existimarunt.

Cæterum lætitiâ, quam Magnus ex dominiorum tanto concepit incremento, prægrandis excepit mœsticiâ; Etenim primogenitus illius filius, præcoci nimis morte nunc sublatus, paternum dolore pectus immenso complevit, qui Upsaliæ tumulo fuit conditus, nostri seculi hominibus ignoto. Ast Thurgotus modò intentus Daniæ visitationi, synodum congregat Vedelæ provincialem, in qua Ecclesiasticas edidit nonnullas constitutiones, quas mihi necdum licuit contemplari.

Annus MCCLXXX. Obitu quorundam in Scandia hominum prælustrium, erat funestus; Siquidem Turgotus, Daniæ Primas, II Maji, mortem oppetiverit; Cui Johannes Dröes, successerat; Et Juta, Regis Valdemari quondam pellex, Lagaholmii vitam finiverit pœnitentem; Magnumque, Norvegiæ Monarcham, similiter mors abstulerit, qui Erico & Haquino, filiis, regni transmisit gubernaculum; Quod tamen ille, velut natu major, solus capeffens moderandum, contra jusjurandum in coronatione præstitum, clerum regni, Vatiniano plusquam odio persequitur; Idque propterea, quod Magni nollèt presbyterium omninò pacta conventa, inter ipsum, & Ecclesiam deferere. Et quandoquidem illa potissimum defenderent contra Regem statuta, Nidrosiensis, Aslogensis, atque Hammarensis, Antistites, patriam exilio permutare deinceps compellebantur, Romamque profecti, de adversario vehementer querebantur. Extorres autem præfules, Martinus & Honorius, patriæ frustra conati restituere, Ericum tyrannidis, impietatisque in Ecclesiam graviter arguerunt; Et quod prærogativas à parente, religiosissimo principe, indultas clero, abrogare haudquaquam erubesceret, repræhenderunt; Hincque Ericus cognomentum, Misoclerus, fuerat consecutus.

Atqui Ericus, Danorum Rex, quod Ecclesiasticis & politicis regni fuisset hæctenus etiam atque etiam injurius, non modicum subiit periculum, sceptri amittendi; Quamobrem illud tempestivè averfurus, in comitiis Nyburgi convocatis, ordinibus sanctè spondet emendationem.

Cæterum Magnus, Sueciæ Rex, meliori conscientia ac innocentia fretus testimonio, Folchungos, nuperæ in regno suo rebellionis auctores, Stocholmiæ in turri acropolis boreali, capitis supplicio multavit, præter Philippum à Rumby, qui vitam care admodum redemerat; Illaque suorum clade potens Folchungorum profapia, tantopere fuit prostrata, ut non amplius ad pristinam extulerit caput magnificentiam, atque potentiam. Inde tranquillitas Sueciæ diu exoptata sequitur, sub qua Hedvigis, Birgerum enixa filium, alterum Sueonibus gaudium attulit, cujus tamen extrema, prò dolor! luctus occupavit; Siquidem Birgerus, à parentis obitu sceptrum adeptus, deplorandâ patriam afflixerit calamitate.

Anno MCCLXXXI. Hedvigis Sudercopiæ, XXIX Julii, primum fuit diademate redimita, quâ maritus sollennitate, pro tantâ Dei clementiâ, sibi, & uxori cumulatim exhibitâ, nonnullam Divinæ bonitati relaturus gratitudinem, clero Sueciæ piis obsequiis mancipato, sub regiam suscepto protectionem, à quibuslibet immunitatem concedit exactio-nibus; Nec ullus regum tantus fuit Ecclesiæ Suecanæ patronus, quantus extitit Magnus; In festivitate verò inaugurationis, tota propemodum urbs conflagravit Sudercopenfis.

Quando apud Norvegos in conjugem ab Erico ducta Rege, Margareta, Scotici Monarchæ filia Alexandri, non minori Bergæ triumpho etiam coronabatur; Sed sponsus clero minus longè, quam Suecus existens addictus, illo neglecto, Vandalicis roborat institoribus privilegia, Bergæ negotiandi; Quibus negatam à parente concedit moram, ibi deinceps perpetuò trahendam pro mercium comparatione. Verum præfati mercatores, sub Erico Pomerano, & Christophero Bavaro, Scandiæ regibus, uberiores ibidem longè consequerantur immunitates, quibus ex Danorum arbitrio fruebantur privilegiis.

Hæctenus autem Scheningensi monialium cœnobio propemodum consummato, S. Ingridis, illarum Antistita futura, Romam denuò profecta, obtinet à Martino IV, facultatem in ipso, ex S. Augustini præscri-

pto, sub fratrum cura Dominicanorum, Deo, cum virginibus sibi adhærentibus, famulandi.

Interim Jacobus, Sueciæ Archiepiscopus, XXV Octobris, de vitæ migravit hujus statione, & presbyterium mox Upsalense successorem illi nominavit, virum, quâlibet insignem doctrinâ, Johannem Adolphi, in transalpinis morantem Academiis.

Anno MCCLXXXII, Prænobilis S. Ingridis, & illustris princeps Megtildis, cum aliis matronis, virginibusque, monasticen Scheningiæ profitentur, monasterio non pauca legantes prædia. Diva porro Ingridis, harum Antistita, multis fatigata laboribus, II. deinceps Septembris die, per charam Deo animam reddidit creatori, & Megtildis, ut existimo, hujus moderatrix contubernii constituitur. Sed interea temporis, privignus Megtildis, Magnus, Sueonum Rex, mense Junio, in ordinum Stockholmizæ conventu, novercæ provocatus exemplo, filiam Rechissam, vitæ destinat monasticæ, moxque in suburbium egressus boreale, aream pro cænobio illic S. Claræ fabricando, designat, primoque tollenniter saxo, ibi propriis manibus collocato, spectacula hic exhibet equestria, & filius ab illo Birgerus, Eques creatus, XL alios cingulo donat militari, quos inter fuit Albertus, Megapolensium Comes. Claustro autem grandibus postea impensis consummato, Rex septennem illi mancipat filiam, quæ adultior votis se obligat monasticis, & demum gubernatrix cænobii facta, post multos ibi labores pro Christo toleratos, ad sponsum fausta demigravit.

Sed nunc ad primam monasterii redeamus foundationem, quâ pro hujus seculi more inchoatâ, spectaculisque honoratâ, Magnus in urbem regressus, coram ordinibus de inopia regiæ queritur sustentationis, Coronæque nimiâ paupertate; Ac opem flagitanti, Senatus regni, post triduanam deliberationem, assignavit quaslibet Sueciæ & Gothiæ metallifodinas; sicut etiam IV. eorundem lacus regnorum famosos, piscososque, Melerum, Veterum, Venerum atque Hielmerum, & flumina inde promanantia, decreto statuens inviolabili, ut Reges imposterum, ex his & illorum accolis, simul etiam de sinibus, in quos exonerantur præfati lacus, similiterque ex stagnis Finlandiæ, Bothniæ utriusque, & maris Baltici faucibus, quoslibet perciperent census; De molendinis illic, piscationibusque quotannis obvententes; His demum addidit Senatus, colonos, imposterum cæsis & exustis nemoribus, nova exordientes prædia, tempore immunitatis transacto, Regi daturus tributa.

Finitis Stockholmizæ Comitii, Magnus inde Scaram Vestrogothiæ profectus, familiarissimum ibi colloquium habuit cum Erico Danorum rege, in quo filiam illius, Meretam, suo sponsam filio impetrat, Birgero. Postea novi consoceri in gaudia resoluti, lautissimis indulgent convivis; illustribus spectaculis, & potissimum catadromiis, quibus Sueones cum Danis & Germanis, pro suæ nationis gloria, adorea, insignique bravio, decertarunt, quæ plerumque etiam reportarunt. Horum tamen ex parte primarium retulit honorem, quidam Erengislo Plata, prout inter adversarios, Magnus Dysavaldius. Cæterum post tantam lætitiâ, Danus reversus domum, plurimâ obruitur mœstitiâ, ex matris obitu Margaretæ Sembyriæ conceptâ. Nec minus tristitiæ attulit Erico, nobilium in Dania virorum rebellio, qui plebeculâ stipati, propter nimia se Regi opposuerunt onera, & in Comitii denuò placati Nyburgensibus, arma deposuerunt. In luctu similiter versabantur modò Roschildenses, quod opulentissima S. Lucii Ecclesia, cum domiciliis conflagaverit Canonicorum. Contribules quoque inclyti Herois, Ulphonis Caroli, in Suecia nomophylacis, illo per mortem sibi erepto, planxerunt; Quod ipsum faciunt deinceps Lincopen-

ses. Nam religiosissimus horum Antistes, Henricus, ad sacrum Domini sepulchrum profectus, apud Acheronenses in proprium incidit, latuitque mors Præfulis triennio Lincopenses, quo tempore orba permansit Ecclesia. Vidua quoque cathedra extitit Upsalensis, quod Johannes, illius Candidatus, æquo ponderatâ momento hujus molestiâ officii, coram Martino IV. suæ palam renunciaverit electioni; Quamobrem Upsalenses hac super re facti certiores, Magno insulam promiserunt.

Anno MCCLXXXIII. Magnus Upsalensium Antistes, non postulatâ & impetratâ, Romæ confirmatione, inconsulto Pontifice maximo, Lundia capessit inaugurationem. Hinc igitur Martinus, & illius successor, Honorius, indignati, Magnum officii privarunt functione, quam propterea toto vitæ tempore operâ vicarii exequabatur. Interim politicis intentus ecclesiæ suæ negotiis, insulam huic amœnissimam, Arnö vocatam, acquisivit, urbisque torrentem Upsalensis, in quo non pauca fundavit molendina. Magnus verò, Sueonum Rex, mortuam sepelit filiam Upsalia Catharinam; Ast frater Valdemarus, extinctam modò conjugem apud Danos, Ringstadii deposuit Sophiam. Nec multo post tempore, secundum iniiit matrimonium cum Dana quadam prænobili virgine, illâque fatis sublatâ, tertio Catharinam, Comitissæ filiam Gotschoviensis, sibi junxerat connubio, & tamen vagæ interea turpiter fuit deditus libidini. Hoc etiam currente anno, mors sustulit Margaretam, Norvegiæ Reginam, quæ antè obitum, precioso admodum amiculo, ecclesiam Islandiæ Holsensem donavit.

In Dania interim domesticum gliscebat incendium; Siquidem Valdemarus, Slesvicensium Princeps, non eo nactus jure Ducatum Jutiæ australis, quo desideraret, cum Jacobo, Claudii Comitissæ filio, Regi propter negatum Hallandiæ borealis Comitatum, quoque indignante, & Stygote Marschalco, in perniciem Erici secretò conspiravit; Quam ille tamen modo evasit, Valdemari & Jacobi satisfaciens votis; non autem refusis tot annorum redivisibus, ex Ducatu & Comitatu levatis; exitio propterea iterum destinatur. Altera etiam hujus fuit causa conjurationis, quod Ericus bonâ quædam Valdemari hæreditaria, nollet resignare, Jacobumque cogeret, L. identidem Equitibus, sibi nomine Ducatus militare, quem ille, velut pro hæreditariis Suerini acquisitum fundis, liberum à quolibet voluit obsequio. Hujus Rex ignarus conspiracy, animum convertit aliò, & præfertim ad subactionem rebellium adhuc in Livonia gentilium, istique Martinus IV. à Dano rogatus, decimas Livoniæ, ecclesiis minus necessarias, per sexennium assignavit, negotio.

Anno MCCLXXXIV. Princeps Slesvicensium Valdemarus, porro à Regis instigatus osoribus, sceptrum etiam Daniæ cæpit affectare, missaque ad regni Archipræsulem protestatione, illo progeniem Abelis, minus justè spoliatam à Rege Christophero, demonstrat; Seque propterea vigore decreti Nyburgensis, quo thronus Daniæ avi fuit liberis inviolabiliter olim promissus, jure illum ambire asseverat.

Norvegus autem infestus similiter Dano, quod fundos sibi necdum restituisset maternos, inito cum rebellibus fœdere, accolas Jutiæ borealis maritimos, crudeliter admodum populatur.

Quamobrem Ericus, hostium in regno fautoribus occasionem prærupturus tumultuandi, in conventu ordinum Nyburgensi, quibuslibet arrogatis constitutionibus iniquis, æquiores multò promulgat; Et filium Ducis Canuti, Ericum, sibi peculiariter devincturus, illi Ducatum australis contulit Hallandiæ; Hafniensesque suis etiam magis addictos partibus rediturus, illis primus Regum Danicorum, privilegia confirmat, unde successores ansam deinceps captarunt, hanc sibi urbem subdendi.

Eodem propemodum tempore, Magnus Sueonum Rex, celebratis Scheningiæ Ostrogothicæ Comitibus, Birgerum nominat filium, consensu ordinum, in throno sibi successorem; Quem frater Magni, Valdemarus, hic præfens, tertio sub gravibus resignavit juramentis, pro se, omnique sua progenie, & tamen pacta non servavit, licet horrendis Ecclesiæ censuris essent roborata. Magnus ubi regno ita providisset, liberisque, etiam suæ provifurus animæ, petitam ab ordinibus illic simul veniam impetrat, Christianum pro arbitrio condendi testamentum, & ipsis pro utraque se gratum præbiturus benevolentia, insignes publicat constitutiones; Quibus inter alia, summo vetat rigore, poculenta vel esculenta, vel pabulum ab agricolis regni, citra solutionem, percipere, asseverans se granarii, penarii que fore feram, nulli violabilem; Indeque Magnus traxit cognomentum, Ladulas, hoc est, clausura horrei. Scheningiâ demum reversus Stockholmiâ, ibi cœnobium monachis condidit Franciscanis, in propinqua urbi insula, olim Kediescher nuncupata; Ubi sibi delegit mortuo sepulturam, cum facultate Martini IV. tumultantes regium alibi finus, diro anathemate simul ferientis. Sed Ericus Norvegiæ rex, cleri adhuc flagrans odio, contra parentis verendum, Archipræfulisque vetus decretum, Islandiæ Antistites, jure præbendarum non erubuit spoliare.

Anno MCCLXXXV. Suecus Scaræ in Vestrogothia, XIII Februarii, suum condidit testamentum; Quo imprimis animæ quietem in cœlo, & corporis in Ecclesia cœnobii apud Stocholmenses Franciscana, multa pietate, summaque verborum gravitate, exoptavit. Deinde pro memorati fabrica monasterii, quantocius & gloriosius consummanda, proventus assignat amplissimos. Tribus etiam primariis in templo aris, preciosissima donat ornamenta, vestimenta que, sacerdoti, Diacono & subdiacono, pariter ornandis necessaria; cujusmodi quoque impertit muneribus, Ecclesiam Vexionensem, & Arosiensem, non æque tamen preciosis. Sed cuique reliquarum per Sueciam, Gothiam, & Finlandiam, Cathedralium Ecclesiarum, IV largitur argenti libras defæçati; Ternas verò regni cœnobio cuilibet, & totidem parochiarum cuivis, in qua fundos possideret Coronæ, vel hæreditarios; Ast binas solum nosocomio destinat unicuique. Conventus autem Varnhemensis, CCC marcas denariorum ideo fuit consecutus, quod illic parentes Magni, fraterque Ericus, quiescerent, & pro horum animabus, ter quotannis piacularia essent sacra Varnhemenses facturi, viceque qualibet per triduum, primo Deum obsecraturi die, pro se, Rege Magno, II pro Erico fratre, ac III pro genitoribus, Birgero & Ingeburge; Ideoque monachorum quivis illo tempore, binam die quolibet vini mensuram esset percepturus in perpetuum tunc propinandam, ex legatisque pecuniis comparandam.

Præterea Magnus votas redempturus peregrinationes, pro Hierosolymitana, CD argenti libras, illuc à IV deferendas Equitibus auratis regni sumptu; pro Assisiana, XXIV; & non pauciores pro Rigenfi, eò per nobiles IV viros, deportandas assignavit. Veniam denique offensarum à quibuslibet regni flagitat humiliter incolis, oratque, ne sui memoriam cum sonitu campanarum in auras paterentur evanescere; Postmodum tamen sexennio supervivens. Interea que regni aggressus negotia, ditissimas monetæ cudendæ officinas instituit, Upsaliæ, Nycopiæ, Oerebrogiæ, Arosiæ, Jenecopiæ, Scheningiæ, atque Sudercopiæ. Quando Primislaus Calisiensium & Posnaniensium in Polonia illustrissimus princeps, in Sueoniam adveniens, filiam Regis Valdemari, Rechissam, obtinuit conjugem, & Marinam, hujus sororem, Rodolphus, Depholten-
sium

fium Comes, sponsam acquisivit, nuptiis utriusque Nycopiæ celebratis. His vero peractis, suavit Magno Regi frater Benedictus, & Regni Archipræsul, nomine ordinum reliquorum, ut Valdemarum honestæ in patria custodiæ manciparet, ne diutius cum maximo generis suæ dedecore, exterâ obvagaretur ditio, propriâ illic uxore repudiâtâ mœchando, & pro sceptri Suetici recuperatione, dolos multiplices machinando, nec tamen pro tempore persuaserunt.

Horum fuit agnata principum, illa prælustris domina, Christina, quæ modò hæredium suum Normelosa, Lincopeni Ecclesiæ, & alterum, Liunar vocatum, cœnobio contulit Alvastræ; ubi cum Siggone marito, humata esse perhibetur; Sed Magnus & Benedictus, subscripserunt donationi. Interea temporis, in conventu ordinum Danicorum Nyburgensi, quidam Erico Regi adjudicantur fundi, XXVIII Junii, jure Duci Valdemaro subtracti. Hinc nihilominus ipse solito vehementius erga Regem inflammatus, eum omni subvertendum conatu decreverat, hocque super negotio, cum fœderato deliberaturus Norvego, ad ipsum festinavit. Sed Ericus, hujus factus certior molitionis, Valdemarum Helfingburgi captum, Sœburgi tradidit custodiendum.

Infortunio autem Valdemari magnopere perculsi sectatores, & præsertim Comes Hallandiæ borealis, Jacobus, captivo Norvegi opem implorat; Qui Comitem supplicem inprimis Equestri donat cingulo; Deinde immensâ in oceanum classè transmissâ, Danos, & Germanos hostibus faventes, summopere afflixit. Hi proinde Norvegis reditum ex mari Balthico prohibitori, XXX navigiis Oeresundium obsident, quibus viriliter profligatis, Norvegi ultro, citroque pelagus pervagantur; & denique amplissimis onusti manubiis, in Dania potissimum congregatis, domum revertuntur. Quo primum tempore, propinqua innotuit insula Islandis, dicta postmodum Estoreland, illis, aliis vero, Terra cœrterialis.

Anno MCCLXXXVI. Ericus Daniæ tyrannus, quorundam in Germania principum intercessione, & nonnullorum comminatione, sicut etiam aliquorum in Dania optimatum conjuratione, Valdemarum captivum liberare machinantium, impulsus, Nyburgi Comitiam indixit. Huc autem ille perductus, XXXI Martii, agnitam deprecatur rebellionis culpam, & non criminis veniam solum impetratâ, sed etiam Ducatu, bonisque hæreditariis pro voto recuperatis, inviolabilem spondet Erico subjectionem; sanctè insuper promittens, quod nullam regi perniciem allaturus; in illius non conspiraturus mortem; perniciosâ ipsi, regnoque Daniæ fœdera, non percussurus; Danis opem in hostem laturus; & carceris despectum haud vindicaturus esset. Eaque servaturus omnia fideliter, sub vitæ ac bonorum amissione quorumlibet, & excommunicatione à Præsulibus Daniæ, in horum ferenda prævaricatorem, etiam non præmonitum. Neque his contentum animadvertens regem, X adhibet principes Germaniæ, fidejussores, qui, XX Aprilis, Lubecæ congregati, suis spondent literis, Valdemarum pacto adhæsurum; illasque nactus Danus, captivum dimisit.

Deinde Norvegum sibi reconciliaturus, de Ingeburge germana sorore ipsi desponsanda, oportunitate cepit consilium; sed propinqua nimis cognatio; virginis de vita migratio; & quorundam cum Norvego procerum Danicorum conjuratio, huic obicem posuerunt conjugio.

Fortunatius itaque conjugium fuit Primislao, Calisiensium principi, nuperum, cum filia Regis Valdemari, utpote quæ filiam ipsi modò genuit Rechissam, à qua progenies Cæsarum, Regum, Archiducum, & Principum moderna per Europam, originem derivat gloriosissimam. Do-
mi au-

mi autem in Scandia Visbyenses, citra regis Suetici consensum, mœnibus suam obmunientes civitatem, grandem illius offensam incurrunt; Prout etiam Islandiæ clerus, Norvego præbendarum jus abnuens, non minorem ejus contrahit indignationem, ad cujus propterea tribunal peremptoriè fuerat citatus; Quo tempore clerus Norvegiæ, Jorunderum consequebatur Archipræsulem. Sed Ostrogothiæ in Suecia presbyterium, illustrem regis sui fratrem, Benedictum, Finlandiæ Ducem, sortitur Episcopum, qui, XXVII Novembris, insignibus suos consultores Lincopiæ Canonicos ornavit privilegiis; utpote quos à Cathedratico, Synodatico, ut vocant, procuratione, contributione, subsidio & quæstu, sibi, successoribusque imposterum liberans solvendis; concedensque præterea multas, ex bonis ipsorum obvenientes, nempe colonis, villicis, inquilinis & beneficiariis, suis prius antecessoribus numeratas; atque jus largiens proprios plectendi clericos, vicarios, & horum, si qui haberent, concubinas.

Nec minus toti Sueonum clero frater Benedicti, Rex Magnus, se benignum præbuit; & modò Franciscanis potissimum monachis, quibus sumptuosissima, commodissimaque Lincopiæ & Scaræ similiter construxerat asceteria. Quando etiam in Dania Nyftadianum furgebat, & Dominicanorum Lundiaë flammis corruebat, monasteria. Verum longe fuit horribilius, illud animorum in Dania incendium, quo tota propemodum conflagrasset. Enimvero quidam regni optimates, quorum erant primarii, Comes Jacobus, Stygotus, Marschalcus, Palno Litle, & Ranno Jonæ, Regem propter enormia quædam scelera, veluti perfidiam, tyrannidem, perjuriam, adulteria, & nimiam avaritiam, cane & angue pejus detestantes, nec diuturniorem ipsi propterea vitam annuentes, in illum, XXII. Novembris, in quodam prope Viburgum horreo, pernoctantem, furiosè irruerunt, & plus quam LVI lethalibus illi vulneribus inflictis, occiderunt, Viburgi postea sepultum. Atque cum larvati facinus perpetrassent, aliquandiù penitus ignotum fuerat, à quibusnam ille foret trucidatus.

Anno MCCLXXXVII. Illustris heros Folcho, Algoti filius, in Vestrogothia Nomophylacis, mense Martio, insignem Suantopolci filiam, Ingridem, Davidò Torstani, Marschalco Daniaë, nuper desponsatam, violenter abduxit in Norvegiam; Quo etiam fratres profugiunt simul Folchonis, Petrus, Benedictus, & Carolus, quod hujus essent facinoris complices, ideoque regis Magni formidarent indignationem. Is proinde totam effusus iram in Algotum, illorum parentem, & culpa non omnino vacantem, ipsum domi remanentem, cum filio captivat Rorico, verum sextus Algoti filius S. Brynolphus, Vestrogothiæ præsul, in cœnobio interim latitans Alvastrensi, se apud Regem excusat, ad Romanumque provocat tribunal.

Mense autem Aprili, ordines Daniaë congregati Schelforæ, regios indagant sicarios, hique se proditos intelligentes, Reginam ibi præsentem, & filium captivare nituntur. Sed insidiis erepti, alia celebrant Nyborgi Comitia festo Pentecostes, in quibus Comes Jacobus, Stygotus Andreaë, Petrus Porse, & VII. alii proceres Daniaë nobilissimi, cædis in Regem perpetratæ convicti, bonis ad regni fiscum devolutis, proscribuntur. Qui propterea in Norvegiam quantocyus profecti, ab Erico Rege, Danis infesto, suscipiuntur hospitio, illiusque subsidio adjuti, gravissimas per novennium patriæ clades intulerunt. Atque sententiam in ipsos prolatam, roboravit deinceps suo Rodolphus Imperator diplomate, quos etiam regni Daniæ Archiepiscopus, mandato Pontificii legati sacris privavit.

Atqui ad conventum reversus Nyburgensem, comperio Ericum, occisi Regis filium duodennem, ibi denuò Regem esse salutatum; Et cum

minorennis existeret, tutorem ipsi deputatum fuisse, regni gubernatorem, Valdemarum, Jutiæ Principem; Quem Rex novus ab Ottone, Brandenburgensium Duce, avunculo, Equestri donatus primum torque, hinc protinus eodem decoravit honore. Porro etiam illum sibi devincturus, & fidelem in officio redditurus commisso, quas pater abstulisset, illas ipsi restituit insulas, & ditiones quaslibet, velut Fimbriam & Arrhiam.

Anno MCCLXXXVIII. Mercatores in Gotlandia Visbyenses, mense Aprili, seditiosos insulæ agricolas invaserunt, & grandem illorum stragem ediderunt; Quam propter & mœnia civitati nuper circumdatâ, Nycopiam à Magno Rege citantur peremptoriè, illic, decimo Augusti die, comparituri cum adversariis, Gotlandiæ agricultoribus. Sed, XXV. Maji, illustrissimus & reverendissimus Ostrogothiæ Antistes, Benedictus, mundum, insulamque reliquit Lincopensem, quam Laurentius, ex Jerosolymitana reversus peregrinatione, consequabatur.

Frater autem Benedicti, Magnus, Sueonum rex, peregrinorum adhuc amans insignium virorum, Petri Porse, hominis bellicosi, ex Dania propter Erici Regis cædem proscripti, amicitiam plurimum delectabatur, licet scelus ab illo perpetratum detestaretur. Hujus tamen se authorem non esse perhibens, argento Regi mutuato, arcem regni quandam in pignus impetrat. At cum deinde mutuum repeteret, nec actutum reciperet, Magnam paucis stipatum satellitibus, in castrum fraudulenter invitat, ibique captivum detinet, donec sufficientem nactus cautionem super argenti solutione, & violenta detentione haud vindicanda, ipsum dimitteret. Pactis vero stetit Magnus, ne perjurio contaminaretur; Posteris tamen liquit cautelam Principibus, nè peregrinis se nimium confiderent hominibus.

Cæterum fratri suo Magnus, non pepercit Valdemaro, quem novocudere iterum dolos, & aliis se flagitiis quotidie profundius immergere cognoscens, in carcerem Nycopiæ compingit. Nec vero absimile videtur, Regem hujus instinctu Valdemari sceptrum affectantis, à Porso nuper fuisse captivatum. Norvegus etiam non modicum argenti à reliquis profugorum nactus, insignes ipsis tradit munitiones, nimirum, Varbergum, Kungellam & Hunehalsium; Clarigatoriisque in Daniam literis modo expeditis, cum immenso subsequitur exercitu; unâ etiam proscripti, qui contribulium in patria subsidio freti, certam Erico victoriam pollicebantur. Nec ipsos fefellit opinio, cum primariis in regno conniventibus Proceribus, Daniam per totum Julii mensem, ferro flammaque Norvegi pervaserint, & demum, XV Augusti, spoliis ditati nobilissimis cum triumpho domum remeaverint. Ita veritas hujus sacræ gnomæ est comprobata: *Væ regno, cujus Rex puer est!*

Proinde cum hostibus vicem rependere non valeret, nec propter domesticas auderet infidias, consilio matris, tutorisque, transmissio in Norvegiam caduceatore, pacem orat, paratus bona resignare controversa, dummodo Norvegus profugos nollet fovere, quod ille penitus recusans, bello insistit. Quocirca mater Agnes, filio subsidium in hostes, æquo contumaciores, apud Suecos, Gothosque comparatura, in colloquio Falchenbergensi promissionem connubii renovat, inter suos, & Magni Regis liberos instituendi, aliâ factam, ac Meretâ, filio Magni, Birgero, iterum desponsatâ, Ingeburgem illius filiam, suo impetrat filio sponsam Erico, tantumque dotis, quantum ipsamet suo datura esset genero, VI videlicet millia marcarum.

Postea Henricus, Glycensium Comes, à sororio Rege Magno, & Vernerus Brunchou, Helsingburgum ablegati, pacta matrimonii literis roborarunt, eo quidem modo, ut si propinqua nimis consanguinitas his foret impedi-

impedimento, nubendi facultas cognatis, Romæ intra sequens impetraretur triennium. Iſto autem liberorum ſucceſſu, Magnus apprimè gavifus, Scheningiæ ordines regni convocat, à quibus iterum Birgero ſceptrum promittitur.

Tum quoque temporis, Magnus in Dei honorem, & novercæ Megtildis amorem, clauſtrum S. Ingridis, in quo illa moraretur, extra urbem fabricatum, intra hujus mœnia tranſtulit, illudque apud S. Martini reſtauraturus eccleſiam, primum hujus fabricæ ponit ſaxum, & pro ejus conſummatione, libras confert C. argenti. Hæc verò cœnobii ſtrutura, reliquis Scheningiæ flammâ conſumptis ædificiis, intacta modo permanſerat, hacque inſtituit eccleſiâ Megtildis de ſuo nomine præbendam, ac deinceps iſto etiam anno fatiſ ſublata, ibidem humatur. Margareta porrò, Regiſ Valdemari filia, exemplo invitata Megtildis, præſenti adhuc labente anno, monacham ibi ſimiliter profitetur; Ejuſdem quoque ordinis cœnobium, temporis progreſſu, ſub Calmaria fuit conditum. Sed iſto ævi ſpacio, Agnes, Daniæ Regina, Koldingæ Franciſcanis illuſtre conſtruxit domicilium, & Lundia, Johannes Archiepiſcopus, in hypogæo baſilicæ aram Divo præcurſori eximiam erexit.

Denique, IX Auguſti, cauſa Nycopiæ Gotlandica diſcutitur, ubi Gotlandiæ plebecula non omnino inſons depræhenſa, D. marcis denariorum mulctatur. Atqui Viſbycenſes, magis inventi culpabiles, duo millia librarum argenti, mulctæ loco pendere Magno regi coguntur, ſanctè præterea ſpondentes, quod Sueciæ obedientiores impoſterum futuri; Regem & illius Commiſſarios, militemque non excluſuri; opem contra rebelles laturi; alterius ſe dominio principis nequaquam ſubmiſſuri; nec profugos ex Sueonia, hoſpitio excepturi, vel agricolas inſulæ amplius infeſtaturi, iſtaque ſervaturi omnia, ſub mulctâ X. millium librarum argenti, & anathemate in horum prævaricatores à Romanenſi, vel etiam Lincopenſi, ferendo Præſulibus; Atque contra ipſos pactis non ſtantes, Regi Sueonum ſubſidia laturi; Roſtochenſes, Lubecenſes, Viſmarienſes, Griphisvaldenſes, Sundenſes & Rigenſes, quarum literas hac ſuper re Viſbycenſes Magno actutum procuraturi forent. Ericus autem Daniæ Rex, ocium à bellis aliquandiu nactus, feſto Theophaniæ, coronâ inſignitur, annum agens XIV. Princeps ſane plurimis ornatus virtutibus, indeque Probi & Pii, conſequitur merito cognomentum.

Anno MCCLXXXIX. Johannes Lundeniſum Antiſtes, XXIX Januarii, demoritur, & citra Regiſ, Reginæque matris voluntatem, illi ſubſtituitur Johannes Grand, Præpoſitus Roſchildenſis. Etenim quod eſſet proſcriptis conſanguinitate & affinitate conjunctus, illius promotionem ad tantum dignitatis ſaſtigium, ſibi Ericus merito cenſuit formidandam. Ideoque prius non fuit permiſſus ad novi adminiſtrationem officii, quam Roſchildiæ in multa Procerum frequentia juramentum fidelitatis Regi præſtitiffet, & literis ſpondiffet, quod proſcriptis nec conſilio vel auxilio adſiſturus, neque illorum reſtitutionem promoturus. Deinde regimen Archiepiſcopæ Johannes capeſſit, & Romam profeſtus, inaugurationem à Nicolao IV. non difficulter obtinet, IV. millibus aureorum illi pro pallio numeratis.

Hoc ſimiliter anno Magnum Sueciæ Archipræſulem mors ſuſtulit, & fors melior Johannem, Finlandiæ Antiſtitem, ad cathedram extulit Upſalenſem; Qui antecęſſoris infortunio admonitus, Lundeniſi Archimyſtâ neglecto, Romæ confirmationem & conſecrationem impetrare decrevit. Hinc ille propterea homo aliàs furioſus & imperioſus, iracundiâ excan-

deſcens,

descens, Upsalensi anathema interminatur, nisi suæ promotionis negotium, Lundiaë imprimis, pro veteri consuetudine, jureque tractaret, indeque Romam nuncios ablegaret. Sed ante prolationem sententiæ, Upsalensis ad summi Pontificis appellans tribunal, vibratum deinceps Lundensis fulmen, velut brutum, & robore destitutum, contempsit. Nec ullus idcirco Sueonum, illo territus, præter Vexionensium Præsulem, qui hac de causa, gravissimas quadriennio, à reliquis Sueonum Episcopis, sustinuit persecutiones.

Sed horum unus, S. Brynolphus, Vestrogothorum Episcopus, mense Augusto, desertis Alvastrensium latebris, in quibus aliquandiu hætenus, Regis formidans indignationem, delituisse, Scaram intrepidus remeat. Magnus autem in Axevaldio morans, cognito Præsulis reditu, ad ipsum profectus, pristinae infontem Episcopum, ejus parentem, fratremque de custodia productos, clementer gratiæ restituit; unus tamen ex Brynolphi fratribus, Carolus à Lindæ, ob raptum Ingridis capite fuit obtruncatus. Quamquam nonnulli referant scriptores, VII. Algoti filios, illud propter facinus, regio fuisse mandato trucidatos, & ita Folchungos in Sueonia penitus extirpatos. Nec interea Magnus piorum oblitus operum, augultum prope Stregnesiam in Fougdcæ cœnobium, fabricavit, pro virginibus ordinis Cisterciensis, Montismarianum.

Suecum quoque Danus æmulatus, presbyterio approbat Revaliensi facultatem à parente, aviaque concessam, Episcopum sibi, Regibus Daniæ inconsultis, eligendi. Gesico autem, Fioniæ Præsul, in hujusmodi opere non cessurus Magno, monasterium S. Canuti apud Ottonienses, flammis nuper descædatum, soloque fermè adæquatum, magnificè restauravit; mox etiam Synodo ibi convocatâ, decernit Sacerdotes potestatem in sua bona viventes, & inde testandi habere facultatem, morientes. Ast Norvegus, pro cognominis sui ratione, clerum regni perosus, bello delectatur, & Jutiam Daniæ, Langlandiamque, mense Junio, prædatur.

Anno MCCXC. Norvegus, successu contra Danum vehementer elatus, & in Paschæ sollempnibus diademate, præter Regni consuetudinem, ornatus, palam ovat, triumphatque. Crebris autem ipsius comoti Hafnienses incursionibus, suam firmiter obmuniunt civitatem. Hætenus quoque discordiæ incendium, Lundensem & Upsalensem inter Præsules de primatu nuper subortum, gliscens paululum, modò flammam suffulit. Unde Antistes in Suecia Arosiensis, cum illic perpetuus esset Romani Pontificis Commissarius, suo satisfactorio officio, & Lundensis Archiepiscopi occursum arrogantiæ, XX Junii, Romam versus transmisit Nicolaum Decanum, & M. Laurentium Canonicum, viros multâ rerum experienciâ conspicuos, de protervia adversarii exoptulatum, & ab intolerabili Danorum jugo, libertatem Ecclesiæ Suecanæ postulatum.

Nec Lundensis horum ignarus, sui primatus formidat dispendium, ac Sueones aversurus à proposito propterea, sacrorum illis mandat silentium, & promulgato simul in eos anathemate, suos quoque causidicos, in Latium ablegat, Sueonibus ibi responsuros. Interea Candidatus Upsalensis Johannes, hujusmodi non horrescens molitionem, in synodo Upsalia, Julio mense, congregatâ, eximium condidit statutum, de Parochorum domicilio à plebecula facto, tectoque conservando, ipsis simul curatis præscribens mercedem pro depositione funerum, sponsum benedictione, ac puerperarum introductione, levandam, prohibensque ab Ecclesiâ quemquam excludere, inconsulto superiore, præter fornicarios notorios, & contumaces; Sicut etiam vetans Clericis, archiodæum basilicæ Upsalensis, linteo non indutis amiculo, & sandalia vel calceamenta foris non de-

ponentibus ingredi, persuasus fortassis illo Domini mandato, Moyfi quondam facto: *Solve calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo stas, sanctus est.*

Magnus etiam Rex, hujus instinctu Archiepiscopi, reliquorumque in Sueonia Præsulum, vel proprio impulsus motu, ut pestiferam in Orientalibus grassantem mundi regionibus, contagionem, à suo averteret regno, quasdam publicat constitutiones; His autem ferio mandavit ut Sueones, Gothique iram placaturi divinam, quemlibet Veneris diem, aliquandiu in pane & aqua jejunarent, illoque Ecclesiam nudis plantis, saccoque induti, vel cilicio, devotè frequentarent, cum publica templum circumirent supplicatione, pauperibus eleemosynam impertirent; suas ad aram offerrent agapas, & missam de virgine celebrandam Deipara, piè auscultantibus; delicta confitentibus; sacram synaxin accedentibus, precesque pro lue avertendâ, fundentibus ardentius, quilibet in sua concessit diœcesi, Episcopus, XL dies indulgentiarum; sicut etiam, ut quivis in regno hominum quotannis unum contribueret nummum, XXX. Novemb. colligendum, inque pios usus convertendum.

Nec multo post tempore, Magnus in Visingana insula ægritudine correptus mortifera, prudentissimo, nobilissimoque viro, Torchillo Canuti, optimatum Sueticorum primario, uxorem, liberos, & regni clavum, intermortuis vocibus commendat, animâque Creatori piè admodum redditâ, XVIII Decembris, obdormit, regiumque plebecula corpus, in humeris fletu copiosè madentibus, inde Stockholmiâ mœstissima deportat, & ibi in Ecclesia Franciscanorum pro voto regis tumultum, signis fulsisse memoratur.

Postea Torchillus, dexteram gubernaculo regni admovens, loco Regis Birgeri minorennis & undennis, XIII annis illud prudentissimè, felicissimèque moderatur. Porro Johannes regni Archipræsul, Sconici Jovis tonitrua, in Suetico nunc primum horizonte cognoscens tumultuari, XX. Novembris die, vulgato per regnum edicto, illorum demonstrat vanitatem, & Lundensem elevat luculenter auctoritatem.

Anno MCCXCI, ineunte, rapidissimi Motalensium & Norcopensium in Ostrogothia fluvii, à præcipiti contra naturam desistentes cursu, quam deinceps Suecia cladem passâ, non obscure prænunciabant. Enimvero Deus, peccatis Sueonum nimis irritatus, & præfatâ illorum pœnitentiâ minus placatus, ipsos peste, fameque graviter multavit. Quo quidem contagio præter infinitos mortalium alios, Bono Smalandiæ, Amundus Sudermanniæ, Præsules; Anundus Caroli, & Gustavus Turvonis, Nomophylaces, occubuerunt. Nec solum Episcopo, Stregnensis Sudermannorum orbatum Ecclesia, sed ipsamet etiam primo suæ initiatio- nis die, concrematur. Funestus etiam annus fuerat præsens Ecclesiæ Upsalensi; Quandoquidem illius Archipræsul, Johannes, intelligens suum in curia Romana pro votis non succedere negotium, & propterea ipsam versus contendens, in via fuerit, VIII Septembris, morte sublatus, & post octennium in patriam relatus, Sigtoniæque sepulchrò illatus. Sed priusquam Antistes hoc susciperet iter, decimas per Gestriciam & Thierpiam suas, studiosorum, ex Upsalensi diœcesi, literis operam Lutetiæ navantium, deputat sustentationi.

Cæterum isto vicissim tempore, S. Nicolaus, optimis Scheningiæ parentibus fuit in lucem editus, qui postmodum insulâ potitus Lincopensi, mira floruit sanctimonia. Contentiosus porro Daniæ Archiepiscopus, Roschildiæ synodum celebrat provincialem, de protegendis Ecclesiæ privilegiis, per Reges hætenus violatis & conculcatis; Ideoque politicorum sibi

fibi odium magis conflavit. Sed Principum, optimatumque in Norvegia favorem, Arnerus, Scalholtenfium in Islandia Præful, prudentius captans, militiam diu sequendo, singularis loco beneficii, ab Erico Rege nunc jus recuperat, præbendas idoneis conferendi personis. Norvegus deinde ad pristina conversus arma, proscriptis Danorum conjuncta, Faltiriæ sævus incubuit; Quando inaudiens, morte soceri Scotorum Regis, regnum ad filiam suam delatum, Margaretam jure hæreditario, bello sociis commisso, quantocyus domum festinat, natamque Scotiam versus ablegat, quæ sub Orchadibus mortua, illam viva non ingrediebatur.

Verum Torchillus, Suetici Regis tutor, captivi misertus Valdemari, custodia illum liberiori Nycopiæ, & liberaliori consolatur, exitu solum ipsi ex arce prohibito, non aliis in ea corporis, animique honestis oblectationibus; Ericum vero hujus filium, optimæ Principem indolis, subverens nè Birgero sceptrum eriperet, in castro detinuit Stockholmensi, ubi temporis progressu, præfati metus causa, fertur clam obruncatus, & in cœnobio juxta patrum insulano tumulatus. Denique magnificum in Sielandia Herevadense, modò etiam conflagravit monasterium.

Anno MCCXCII. Patres Upsalenses, cognito Johannis Archiepiscopi obitu, M. Nicolaum Decanum, Romæ cum Lundensibus de primatu corrixantem, sibi deligunt Antistitem; Qui tantâ honoris accessione factus animosior, sub Nicolao, Celestino & Bonifacio, per quadriennium longe vehementius adversariis colluctatur, tandemque victoriâ donatur. Contumaces etiam Vexionenses, novi successu Archipræfulis consternati, XX Julii, in gratiam cum illo, Ecclesiæque redeunt metropolitana, suum detestantes errorem, & illicitam sibi appellationem, ab Upsalensi ad Lundensè tribunal, agnoscentes, nec imposterum hujus se decretis obtemperaturos sanctè promittentes.

Sed alia distinetur lite rex Norvegiæ Ericus, siquidem contendens per mortem filiæ, sceptrum regni Scotici ad se devolutum esse, non modicum negotii Scotis faceffit; Quam Edvardus Anglorum Rex, à partibus arbiter delectus, controversiam discussit, mensè Novembri, thronum Scotiæ Johanni Baliolo, velut propinquiore hæredi adjudicans. In Dania porrò, Dux Valdemarus, Regis tutor minorennis, primo Haderslebiæ jure municipali decoravit.

Anno MCCXCIII. Valdemarus quondam Sueciæ Gothiæque Rex, infaustam clausit vitæ tragœdiam, Vretenfi monialium cœnobio, ut quidam existimant, sepultus. Itaque Torchillus, regni gubernator, neminem formidans domi æmulum, in Carelos Russiæ populos, Christo & Sueonibus infestos, traducit exercitum. Nec segnes illi hostibus occurrentes, tamen seperantur, & Deo vero, Sueonumque dominio, subjungantur. Deinde Marschalçus Careliam à Moschorum irruptionibus, securam redditurus, prævalidum ibi propugnaculum exstruit limitaneum, nomine Viburgum, & Kexholmiam Moschis ereptam Suetico firmat milite, domumque signa convertit victoriosa, Petro Arosiensium Episcopo ibi relicto, qui neophytos aliquandiu Carelos in fedei articulis informavit, & indignam postea laboris mercedem à Torchillo reportavit.

Atqui Norvegus cum Dano prope Varbergam collocutus, nullam pacis mentionem voluit admittere, quod profugis penitus exclusis, illam adversarius flagitaret. Ideoque classe iterum restaurata, pelagus obvagatur, & nusquam tentata in hosticum descensione, obvia mercatorum navigia prædatur, tandemque sub autumnii tempus, opimum re-
ducit exercitum. Quando primarius commilitonum Stygotus Andreae mortis violentiâ prostratus, in patria clanculum humatur. Verum
Agnes,

Agnes, Regis Danici mater, de thalamo magis quam tumultu sollicita, Johanni, Vagriæ Comiti, nupsit, illicque Johannem, Holsatiæ postea dominum, genuerat.

Anno MCCXCIV. Dani tot incursiones & deprædationes vindicaturi, Hallandiam populantur borealem, Hisingiamque, & Hunehalio frustra impugnato, in patriam cum puillo revertuntur triumpho. In Rannonem verò, hac fortassis captum expeditione, quod Regem sicariis olim prodidisset, reliquum vindictæ profusuri, ipsum Roschildiæ horrendo afficiunt supplicio. Nec sanguine hujus satiati, Johannem, Daniæ Archipræfulem, obsecrant, ut anathematis sententiam in reliquos sicariorum, Romæ impetratam, promulgaret, & recusantem Christopherus, Erici Regis frater, XIII ante Pascha diebus, captivat, Ludensemque simul Præpositum, ac Sæburgensi mancipat utrumque carceri; Ex quo hic post XXVII. elapsus clanculum hebdomadas, Romæ Christopherum & Regem fratri conniventem, vehementer accusavit. Sed illi accusatione hujusmodi contempta, Lundiam pergunt, & thesaurum Ecclesiæ, cum diplomatibus vetustis diripiunt; sed quandoquidem inde plures ad rapiendum animarentur, XV Julii, suis prohibuit Ericus literis, Lundensi porro Ecclesiæ damna inferre, & captivum hujus præfulem, velut cognatum, conjuratumque sicariis, passim traduxit.

Revaliensi quoque presbyterio gravem intulit Ericus injuriam, siquidem Roschildiæ, XXIII Junii, potestatem huic indultam, à parente, aviaque, Episcopum Regibus Daniæ inconsultis, eligendi, palam revocaverit.

Magis tamen suæ fuit injurius conjugii Rechissæ, Valdemari quondam in Sueonia dominantis filiæ, Primislaus, Califfiensium Dux, quod infontem tantopere pulsaverit, ut animam inde exhalaverit, quæ in sacello Regum Postnaniæ sepulta, Deum postea mortis suæ vindicem habuit acerrimum. Interim vir bellacissimus, Siggo Locha, Kexholmia Castellanus, victualium nimiâ pressus inopiâ, partem exercitus in Sueciam remisit pro comœatu, illuc quantocyus advehendo. Itaque Moschus remanentium animatus infrequentia, suâque potentia, illos arctissima cingit obsidione, qui demum fame compulsi, audacter erumpunt, plurimos hostium sternunt, & à tantâ superari multitudine, vitamque castrumque amittunt.

Anno MCCXCV. Ericus Danorum Rex, jam ex minorenni ætate progressus, ipsemet regni clavo dexteram apponit moderando, & Ducem Valdemarum, tutelæ minus fideliter administratæ incusat, quod Alfiam, Fimbriam & Arrhiam, regno quondam Nyburgi adjudicatas, interim sibi vendicasset, usurpassetque. Valdemarus autem demonstrans illas Ducatui provincias, consensu ordinum Danicorum, legitime restitutas fuisse, cum tutoris officium assumeret, & præterea probans, quod pater Regis Ericus, nullo arrogasset sibi jure omnia Principis Suinborgensis bona, cum pars illorum non modica, ad Regis quoque Abelis spectaret progeniem, parta defendere, & violenter ablata repetere, armis se paratum asseverat. Quocirca bellum uterque molitur, illaque gavisus occasione Norvegus, & proceres Daniâ extorres, fœdus cum Valdemaro in hostem pangunt communem. Quod Norvegus etiam affinitate magis roboraturus, Ericum Langlandiæ Ducem, non Equestribus solum ornat insignibus, sed insuper suam illi consobrinam, Valdemari filiam, in Suecia olim Regis, Sophiam, donat uxorem.

Pugnâ vero navali Dux in Gronesundio congressus Regi, profligatur; Victor tamen bellum non ausus est proseguere, quod hostium formidaret potentiam reliquorum. Ideoque cum his primum transigere consultum

ratus, Ericum Norvegiæ Regem, ad colloquendum, in collimino secum amice invitavit, & non repulsam passus, XXV Septembris, illum convenit, à quo annuas eâ obtinuit conditione inducias, quod interim exules secure in patria essent moraturi; Non tamen in Regis vel fratrum prodituri conspectum, illi; velut etiam Ericus, Hallandiæ australis dominus, & Sophia, Principis Langlandici consors, bonis in Dania maternis, paternisque fructuri; libera negotiatio & pax, terrâ, marique simul perseveraturæ essent, usque VIII Julii diem, anni sequentis; Ast, XXIV Junii, omnimoda litis inchoanda foret transactio.

Deinde aliquot mensium, cum Duce Valdemaro facit inducias. Sed Nicolaus, Sueciæ Archiepiscopus, nullas permittens adversariis, dum primarius illorum, Johannes Lundensium Antistes, in Dania captivus detineretur, victorque in Italia evadens, à Bonifacio VIII, sibi confirmationem, consecrationemque, & patriæ à jugo Lundensi plenam impetrat fortè liberationem.

Itaque Johannes, antagonista Nicolai, XIV Decembris, ex custodia fraudulentè elapsus, Romam festinat, ubi primatus Suetici dispendium, & captivitatis biennium diu exaggerat, multumque deplorat. Cæterum Primislaus, Califfiensium Dux, gener quondam Valdemari Regis, ante tempus nonimestre sceptrum Poloniæ consequitur, ejusque fortunam, Otto, Brandenburgicus Elector, ob vetus odium, sibi metuendam sentiens, subornatis clam percussoribus, illum trucidavit, & ita Deus mortem Rechissæ vindicavit; Ex qua superstitem liquit filiam Primislaus, Rechissam quoque nominatam, & Venceslao, Bohemorum, Polonorumque Regi desponsatam, istoque nata fuit illustri conjugio, Elizabetha, invictissimorum, Caroli IV, mater, & Sigismundi, avia Imperatorum. Verum prioris Rechissæ patruelis, Rex Sueonum Birgerus, florentissimo gaudens regni statu, ut juris patrii emendatione, suum incolis regimen gratius, utiliusque redderet, prænobili viro Birgero à Finstad, & XVI aliis legum peritis Sueticarum, codicem Uplandiæ commisit revidendum, mandans in illo, præter alia fidei contraria Catholicæ, gentilium fermenta, eam expungere legem, quæ hætenus Suecis Christiana vendere mancipia indulisset, quod Christus XXX venditus denariis, suos preciosè filios redemisset.

Anno MCCXCVI. Suecus volumen juris Uplandici hætenus castigatum, coram Sueonibus promulgatum & approbatum, II Januarii, suo etiam diplomate confirmavit. Verum, III Februarii die, Vordingsborgi Valdemarus, Slesvicensium Princeps, se abdicans dominio Alsiæ, Fimbriæ & Arrhiæ, simulque Regi bona Ducis Suinburgici, Abelis, dudum mortui, ex judicum sententia, Nyburgi deinceps prolata, permittens, ac promittens, nullam se Norvegis opem laturum, si proximo ad litem conventu æquas pacis nollent admittere conditiones, pristinam Dani gratiam recuperat. Quo tempore Rex idem, & frater Christopherus, ad tribunal citati Romanum, ut Johanni, Daniæ Archiepiscopo, exuli, & Jacobo Lang, Lundensi Præposito, illic responderent, de sua querentibus captivitate, VI Maji, suos in Latium expediunt procuratores; Quando Nicolaus Alonis, Sueciæ Primas, inde Upsaliam reversus, XVII Maji, cum triumpho in urbem deducitur, ibique postmodum, XXIX Julii, primis operatus sacris, in iis Ramburgem, Schogensium Antistitam, & alias IV præterea virgines, propalam velavit atque consecravit.

Sed interea, Junio mense, Rex Danorum Ericus, Helfingburgi cum Ingeburge, Suetici Regis sorore, matrimonium, quâ par fuerat solennitate, consummavit, nuptiisque peractis, cum Rege Birgero ad colloquium Norvegi festinavit.

In hoc autem Danus, leviro sequestre, biennem ab adversariis, conjunctam Suecorum & Danorum formidantibus potentiam, induciarum obtinuit prorogationem. Porro minus feliciter cessit Romæ controversia Regi Erico, & Christophero fratri; Illic siquidem Archiepiscopo & Præposito, ex sententia duorum Cardinalium prævalescentibus, ad numerandum his propter damna, injuriasque, illata, XLIX millia librarum argenti, obligabantur. In Islandia verò liberalitate Iorundi, Holensium Præfulis, cœnobium conditur Modruvalense.

Anno MCCXCVII. Periculosam Danus fratri Christophero intentavit litem, quod sibi quadam vice Calenburgum intrare volenti, per suos ibi excubitores, castri portas ille occlusisset; sed Christopherus vigilibus culpâ imputatâ, & quibusdam illorum vitâ mulctatis, Procerum interventu, Regem placavit offensum. Inde nihilominus colligere licuit, regium Christophero adventum fuisse suspectum, & Ducem fraternas submetuisse insidias. Johannes autem, Daniæ Archimystra, suo in urbe negotio prudenter expedito, Lubecum inde commigrat, ubi adventum Pontificii legati præstolatur, in Daniam transmittendi.

Sed Nicolaus, Sueciæ Archiepiscopus, interea per suam promulgat diœcesin statutum, quo mandavit Parochis, aquam & salem, in propatulo Ecclesiæ quolibet diè Dominico consecrare; oleum, chrisma, vinum, hostias & sacram supellectilem decenter servare, ac reverenter contrectare; Sacratum in altari primario, tam amplum providere lapidem, ut calicis & hostiarum festo Paschæ esset capax; Deinde legem Parocho & Parochiano, eligendi confessarium; observandi jejunia, ac festis diebus, urgente necessitate, laborandi, præfixerat.

Demum toti etiam suæ provisorius provinciæ, synodo Arbogiæ indictâ, constitutiones revidet Telgenses, & XX Julii, cuilibet per regnum Curato injungit, ut quaterna celebraret annuatim peculiariter sacra, primum quidem de sacratissima Trinitate; alterum de Maria Deigenitrice, pro regni & Regis incolumitate; tertium de SS. Erico & Henrico, pro Carelorum conversione; ast quartum pro anima Regis Magni, piaculare, hujus obitus die recurrente, largiens ista devotè auscultantibus, XL dierum indulgentias. Quo pariter temporis spacio, Stockholmiæ & Ludosiam ignis fuerat populatus; Atqui Schogensium monasterium ab eodem prius devastatum, & modò propius ad Meleri translatum littora, spectabilis vir, Bigerus à Finstad, eleganter restauravit.

Anno MCCXCVIII. Doctissimus Ripensium Præful Christianus, in festis Paschalibus seminarium, in sua urbe pro XXIV adolescentibus, in illa natis diœcesi, artium liberalium studio informandis, fundavit. Verùm Scarensis in Vestrogothia Episcopus, Brynolphus, arcem isto molitur tempore Lechensem. Nec multo post Bonifacius VIII, summus Christianorum Antistes, suum transmittit legatum, nomine Isarnum, Daniam versus, Regis & Archiepiscopi decisurum controversiam, Romanamque executurum sententiam. Hujusmodi verò carens domi litigiis, Birgerus, Sueciæ Monarcha, initio ætatis, Meretam, Regis Danici sororem duxit uxorem, nuptiis Stockholmiæ celebratis. Nova porro nupta, solam loco dotis flagitans prænobilis viri Magni Algoti liberationem, hanc, simulque Enecopiam, cum Fiedrundia & Husby in Trogdia, lubenter impetravit. Hac autem festivitate nuptiarum, Ericus regni Princeps, in spectaculis solenniter exhibitis, se admodum heroice gerens, singularem spectantium favorem, ac Equestrem à Rege fratre, consequitur meritò honorem.

Post connubii regalis solennia, Birgerus cladem vindicaturus

Kexholmensem, Torchillum regni Marschalcum, circa festum Pentecostes, cum lectissimo in Finlandiam expedit exercitu; Qui primò crebris hostium excursionibus ponendum ratus obstaculum, fortissimum inter Nygni & Suarræ flumina, ubi continuò Russi solerent in mare Balticum erumpere, castrum fabricavit, à Sueonibus Lanscronam seu Noteburgum, à Moschis, Pechensaram, appellatum. Itaque Russi hanc adeo sibi perniciosam in ipso subversuri exordio fabricam, cum XXX. millibus armatorum, illuc protinus advolant; Qui à Sueonibus inde fugati, se post aliquod itineris spacium, ex fuga colligunt, & reditum in hostes decernunt. Sed illum cunctantius apparantes, postridie Mathias Ketelmundi, heros strenuissimus, juxta ac nobilissimus, solo comitatus interprete, accessit, & cum integro die hostium fortissimum, ad monomachiam frustra provocasset, ad suos cum insigni fortitudinis gloria remeavit, hostibus exinde sensim & catervatim, certatimque dilabentibus.

Interim induciæ Danos & Norvegos inter constitutæ, ad finem decurrerant; Ideoque Reges, ineunte autumno, juxta limites regnorum denuò collocuti, postquam diu fuissent corrixati, tandem, VIII Septembris, secundæ induciarum subscribunt prorogationi. Moxque in Daniam reversus hinc Ericus, Isarnum ibi offendit, Pontificis legatum, isque plurimum rogatus, ut sibi tolerabilioribus reconciliaret conditionibus Archiepiscopum, hunc mense Novembri, hoc super negotio convenit Lubeci, & alienum prorsus à tali invenit transactione.

Anno MCCXCIX. Mense Januario, Isarnus Lubeco in Daniam cum Archiepiscopo reversus, Ottoniæ promulgat interdictum, simulque anathema Erico & Christophero interminans, nisi Pontificis quantocyus satisfacerent sententiæ. Inde autem Johannes in Borenholmiam secessit, & Isarnus Aleborgum profectus, suis hortatur literis Regem, ad numerandum Archiepiscopi, pro bonis violenter illi ablatis, III. millia librarum argenti; pro damnis, quæ propter amissionem illorum passus esset, VI; & pro despectu captivationis, XL millia; vel amicè conaretur litem cum ipso transigere, alias fortassis illi majus contingeret infortunium, velut regni amissio & proscriptio. Sed Rege ad tribunal appellante Romanum, aliud his legatus minis non obtinuit, quam novum super eodem negotio Hafniæ conventum, festis Pentecostes frequentandum, & Archiepiscopo publicam ad illum veniendi securitatem.

Ast Præsul illi non fesus, condicto imminente tempore, Hafniam suam duntaxat procuratorem transiit, ubi post multifarias actiones, legatus Regem contumaciæ arguens, latâ sententiâ, Johanni Archiepiscopo adjudicat, quicquid haberet ille juris in civitatem, & monetariam Lundensium officinam; Sicut etiam quæcunque obtineret prædia in Scania, Blechingia & Borenholmia, interdictique renovat promulgationem, quod quinquennio sacris Ericum & sectatores privavit. Nemo tamen interea servitorum Archiepiscopaliū, ausus fuerat præfata occupare bona, quod Regiam formidarent oppidò indignationem.

Neque Lubecenses ista Regis tam infortunatâ deterriti conditione, ipsi sibi deligunt protectorem, & tutelam spondenti decennalem, vicissim in protectionis recognitionem, DCCL promittunt marcas quotannis numerandas; concedunt insuper facultatem, ut plenum interea urbis dominium à Romano conaretur imperio recuperare. Huic porro Erici fortunæ, altera non minor accessit, quod Norvegum, hostem suum capitalem, fatalemque, mors, VIII Maji, sustulerit; licet Haquinus, frater hujus, mox regni habenas nactus, non parum etiam negotii Dano postmodum facefferit. Quando Islandi tyrannide nimium, Erici hætenus oppressi, Haquino subesse aliquandiu detrectarunt.

Nec minus contraxit odium Rex Birgerus, apud Sueones, quod bellum continuaturus Ruthenicum, & nimio conjugis fastui satisfactorius, occœperit modò clerum etiam onerare contributionibus, & decimarum portionem, pauperibus attributam, ex Folchlandiis sexennio levaverit. Isto similiter anno, funus Johannis Archiepiscopi, ex Italia in Sueoniam relatum, Sigtoniæ apud Dominicanos, veteres olim defuncti Præfulis contubernales, tumulo commendatur.

Anno MCCC. Fridericus, Rigenſium Archiepiſcopus, violentiâ & potentiâ Crucigerorum in Livonia militum infeſtatus, Ericum Daniæ Regem, vocat in ſubſidium, iisdem loco mercedis fruiturum commoditatibus in ſua diœceſi, quibus antea Crucigeri. Sed Bonifacius VIII. hanc Dano fortunam invidens, per Iſarnum eò tranſmiſſum, litem cum emolumento utriusque partis, XXXVIII ante Paſcha die, tranſegit. Hinc itaque Danus avocatus Roſtochenſes impugnavit; Etenim Nicolaus, illorum ſibi rebellantium, & ditionum quarundam his in Vandalia propinquarum Dominus, quod Electoris Brandenburgici deſponſâ ſore contempſit, alteram in Dania ambiret, à repudiata contribuſibus vehementer moleſtatus, pro ſummâ pecuniarum haud modicâ, & latifundiis in Dania receptis, ſuam Erico Regi in Roſtochium, atque provinciam huic ſubjectam, assignavit jurisdictionem; Illaque Danus occupaturus, & hac ſimul occasione eas recuperaturus ditiones, quas in Vandalia majores olim poſſediſſent, illuc militarem decernit expeditionem.

Atqui ſubveritus, ne in ſua Norvegiæ abſentia Daniam invaderet, cum ipſo inprimis veterem tranſigere controverſiam conſultius exiſtimavit. Nec ullum huic rei magis idoneum tractandæ, quam Ericum, Langlandiæ Principem, velut Haquini affinem, ratus, menſe Julio, eum expedivit in Norvegiam, illoque procurante, Reges, XVIII Auguſti die, colloquuntur Schelſoræ, ubi Norvego pertinacius quam æquius cauſam exulum propugnante, ſola iterum procrastinatio induciarum approbatur.

Quamobrem iſto domi liberatus metu, Vandaliæ Ericus invadit, & propriis, alienisque armis Roſtochium præcipuè, ſesqui anno impugnavit. Interim, XXIX Septembris, matre orbatur Agnetâ, Ringſtadii poſtmodum humata. Verum hujus gener, Sueonum Rex, Birgerus, feſto Pentecoſtes, dotem uxori propter nuptias promiſſam, ſuo roboravit diplomate, tantam illi deputans, quantam Ingeburgi germanæ, Danus prius assignaſſet. Quo ſimul tempore, Birgerus cum Anglorum Rege amicitur, quos inter nonnulla viguiſſet hæcenus diſſenſio, ex ſubditorum utrobique ſuborta fortaiſſis negotiatiõne. Cæterum Nicolaus, regni Primas, Eccleſiaſticis ex officio intentus negotiis, Synodum, III Julii, convocat Upſaliæ, in qua univerſis per diœceſin parochis mandat, ut quotannis intra XV à Paſcha diem, novum ex Cathedrali Eccleſia ſibi provide-
rent chriſma; eòque annuatim confluentes ad ſynodum, ſecum deferrent ſimul cathedraticum; Siquidem Curatorum quilibet, de oblatiſ in Eccleſiæ ſuæ Encæniis, ſibi ad aram muneribus, dimidium Præfuli donare teneretur, idque Cathedraticum vocabatur. Nec Magnus Finlandiæ Antifteſ, ſuo indormiens muneri, facultate Bonifacii VIII, Episcopalem de Rendamechi cathedram, traduxit Abogiam, hucque pariter Nouſio corpus B. Henrici, modò primum, ut exiſtimo, Divi adſcripti, tranſtulit.

Aſt Petrus, Aroſienſium Præful, indignam pro ſuis domi, forisque nanciſcitur laboribus mercedem; Quippe cum non paucò navaiſſet tempore fideliffimam Carelorum converſioni operam, ut non immeritò
primus

primus illorum vocaretur Apostolus, in odium cecidit Marschalci, quod propter exilio patriam mutare compulsus, modo Nidrosiæ vitam extorrem terminavit. In Sueonia vero cœnobium ad fastigia perductum Schogense, per Nicolaum Regni Archipræsulem initiatur, unaque XII virgines consecrantur.

Verum Mereta, Sueciæ Regina, thoro non choro addicta, eodem genuit mense filium Magnum; Et Marschalcus, consummato Noteburgensi castro, illâ perfunctus militiâ, proras Sueciæ obvertit, quibus adversâ in Nyni ostio detentis aurâ diutius, interea cum parte copiarum equestrium Mathiam Ketelmundi remisit in hosticum; Qui nova illo clade afflicto, ovens ad classem remeat, atque cum reliquis in patriam commilitonibus, prosperum nactis ventum, lætus navigat. Reduces porro victores, Birgerus cum immenso suscepit gaudio, simulque uxor Mereta, quæ eodem prorsus tempore, nimirum die Archangelo Michaeli sacro, sui à partu nupero purificandæ gratia, Ecclesiam, pro consuetudine Christiana, fuerat ingressa. Sed geminam hanc Regis lætitiâ, ex filio nato, & hoste superato, conceptam, longè major tristitiâ deinceps perturbavit.

Anno MCCCI. Munitionem in Russia Sueonum Lanscronensem, CCC tuebantur præfidiarii, à Marschalco illic nuper relictî, quorum fuerant Capitanei, Steno Eques, Carolus Hack, & Torchillus Amundius, heroës strenuissimi; Nec victualium illis copia defuerat; sed quod illis miles, ex novitate murorum corruptis vesceretur, hypofarchæ morbum contraxit, qui tantam hac æstate cladem ipsi attulit, ut tempore autumnî, ex CCC. solum XX. superfuerint. Illam verò præfidiariorum infrequentiam, hostis in omnem intentus occasionem Sueones inde profligandi, cognoscens, potentissimus advolat. Atque ut nullum prorsus ex mari subsidium nostrates consequerentur, Nyni ostia Moschus inprimis obstruere conatur. Nec latebant insidiæ Suecos, qui probè animadvertentes illam hostium molitionem, extremam sibi perniciem, dubio procul, allaturam, nisi quantocyus impediretur, & solius Dei, non propriis viribus confidentes, eruptione facta, hostem à fatali avocant opere, ac IV suorum desideratis, incolumes ad castrum remeant. Russus autem redeuntium vestigiis ponè insistens, arcem vehementissimè impugnat, & post dies paucos expugnat, trucidatis in ea Sueonibus, præter nonnullos, qui ex occupato tamdiu se defenderunt cellario, donec vitæ nacti securitatem, se dederent, illosque Moschus captivos abduxit, & castrum penitus destruxit.

Cæterum illo belligerat Danus tempore in Vandalia, ubi præfatus à Verle seu Venden, Nicolaus illi pollicetur in hostes auxilium, & hanc Nicolai cum Erico fœderationem submetuens adversariorum potissimus Elector Brandenburgensis, suam cum Nicolao controversiam, Regis submittit arbitrio decidendam. Johannes etiam, Lundensis Præsul, confidens suam cum ipso Rege discordiam, Isarno sequestre, fortunatiorem habituram catastrophem, mense Octobri, Borenholmiam, peregre intravit.

Anno MCCCII. Præfatus Daniæ Archiepiscopus, Johannes, de sua cum Rege diffidens reconciliatione, ad pristinumque restitutione officium, ineunte veris tempore, Hammarshusio Borenholmia relicto, Lutetiam Parisiorum secessit. Cujus abitu Ericus Rex, oppidò exhilaratus, ordines Daniæ Suinburgi convocat, ubi deliberatum inprimis de bello cum Vandalis & Norvegis gerendo. Deinde cum summopere tæderet modo Regem, omnesque regni habitatores, interdicti, Jona Litlio, procerum uno, Romanam versus cum literis humilimis transmissis, flagitant delicti condonationem; spondent emendationem; promittunt satisfactionem, & poscunt absolu-

absolutionem, simul impensè obsecrantes, ut propter quietiorem regni statum, procurata terrarum alibi provisione Johanni, Isarno conferre dignaretur Bonifacius Pontifex cathedram Sconiaë Lundensem, qui Rigensem modico hæctenus tempore occupasset.

Istaque commotus benevolentia Isarnus, regiaë fit causæ addictissimus, quam, suamque datis simul in urbem literis, vehementer conatur promoverè. Sed omnium efficacissimè juxta ac subjectissimè ad Bonifacium perscripsit ipsemet Ericus, prout sequens regiaë periodus epistolæ testatur:

» Vestraë Sanctitati in omni misericordia semper quantum possum, hu-
 »milius supplico, quatenus me misericorditer dignetur recipere vestraë
 »Sanctitatis pietas, ut non desoletur regnum; ne tota gens pereat. Illi enim
 »oves cum sint, quid fecerunt? convertatur obsecro in vaginam Petri gla-
 »dius, & restituat seruo auriculam Christi vicarius, immo verius ipse Chri-
 »stus, ut restitutus ad Ecclesiastica Sacramenta, liberius audiat verba Dei,
 »& quicquid humeris meis portabile, mihi jusserit vestra Sanctitas reveren-
 »da, licet perquam durum fuerit, non negabo. Quid plura? Loquere Do-
 »mine, & audiet servus tuus. His itaque domi ordinatis, Ericus Danorum
 Rex, sua quantocyus repetit castra sub Rostochio fixa, quo cum potentes
 quidam Principes, nimirum Valdemarus Jutiaë, Ericus Langlandiaë, &
 Viceslaus Rugiaë, Duces; Gerhardus, Johannes, Adolphus, Holfatiaë; Ni-
 colaus, Vandaliaë, atque Henricus Megapoliaë, Comites, mense Augusto,
 fœdus pangunt illic amicissimum, inter alia spondentes auxilium subjugati-
 oni Rostochensium.

Qui propterea diutius urbem contra tantam hostium potentiam, frequentiamque defendere haud valentes, illam, accepta privilegiorum confirmatione, & data vicissim obligatione, Regi dederunt. Sub quâ castrum fabricavit protinus suburbanum, Danaborg nuncupatum, omnem civibus rebellandi occasionem prærepturus. Illud vero cum civitate, & regione Rostochio subjectâ, in feudum postea contulit Henrico, Magnipolensium Domino, Daniaë vasallo deinceps futuro, hisque juxta placitum Regis fruituro beneficiis.

Interim sororius Dani Birgerus, Sueonum Rex, consorsque hujus Mereta, Sudercopiaë in Ostrogothia, tempore autumnii, diadematis insigniuntur. Ubi etiam Valdemarus, Regis frater, cingulo donatus Equestri, cum licentia Suetici Archipræfulis, compatris sui filiam Torchilli, Marschalci, Christinam, sub ea ducit spe conjugem, quod foceri ope, fruiturus esset impostero gratiâ Regis propensiori. Atqui frater hujus Dux Ericus, subsidium in Norvegia captans prudentius, illucque ad Decembria perhonorificè invitatus, comitibus Torchillo, Amberno, regni Dapifero, & Petro Porse, Sudercopiâ sub anni finem festinat Aslogiam. Ubi convivio lautissimè tractatus novendiali, filiam interea Haquini & Euphemiaë, Ingeburgem sibi sponsam delegit.

Quod ideo videtur Norvegus connubium, suafu profugorum ex Dania Procerum, molitus, ut Sueonum auxilio fretus, Regem deinceps Ericum feliciter impugnaret. Nec minus inde lucrum sponsus expectabat, Birgeri haud amplius formidans potentiam, hujusque Rex frater, non ignarus molitionis, istud meritò suspectum habuit matrimonium, velut etiam Rex Danorum Ericus.

Anno MCCCIII, illucescente, Dux futuro valedicens focero, in Sueoniam remeat, cujus suafu Birgerus non difficulter impulsus, cum Haquino prope Tyreholmium, tribus ante Pasca septimanis, amicè colloquitur. Quando pactum renovatur Solbergense, plurimis auctum articulis, præsertim de mutuo in hostes subsidio ferendo, partis bello dividen-

dividendis ac defendendis. Huic vero fœderis aderant renovationi testes, Ericus & Valdemarus, Duces, cum non paucis Suecorum & Norvegorum optimatibus. Deinde Norvegus à Birgero, & potissimum novo invitatus genero in Sueciam, hanc unâ ingreditur, ac passim insigni magnificentiâ, munificentiaque excipitur.

Ast sub veris initium, Jonas vel Johannes Litlius, Daniæ Marschallus, cum beneplacito Pontificis responso, sententiâque ejusdem mitiore, fuit ex Italia reversus; Quâ Ericus vehementer exhilaratus, pro hujus executione actutum comitia indixit Nyburgi, in quibus pridie Parasceves fuerat Dania sacris restituta, atque Lundensi Ecclesiæ, pro damnorum compensatione omnium, bina Coronæ amplissima territoria, unum quidem in Borenholmia, Rotnense, & alterum in Sconia, Hervidstadenſe, in perpetuam attributa possessionem; veteres confirmatæ immunitates; restauratæ, novæque cum gaudio collatæ, & X. millia librarum argenti Archiepiscopo deputatæ Johanni, damnorum ac injuriarum nomine.

Qui tamen Lundensem haud usurpaturus esset infulam amplius, sed Rigenſi fruiturus, & Ifarnum in Dania successorem habiturus. Is proinde mox Romam profectus, ibi suam obtinet inaugurationem, & plurima Ecclesiæ negotia Danicæ hæctenus nimium intricata, solerter expedit, simulque forsitan illud Lundensis in Sueoniam, primatus. Nyburgus autem Rex Ottoniam digressus, infestis ibi Paschalibus severo per Daniæ edicto promulgato, vetat ulla impoſterum regni clero injurias irrogari. Quo etiam tempore, Christophero fratri Ducatum Esthoniæ sub feudo permisit sexennali, quem ea propter ille regio adjutus subsidio, ab hostium esset defensurus quorumlibet incursionibus, & Daniæ L. viris in necessitate militaturus.

Hæctenus porro Haquinus in Suecia moratur, & IV Maji, constitutus Upsaliæ, argenteum S. Erixi loculum, à Nicolao referatum Archipræfule, devotus contemplatur, modicaque corporis sacri portione donatur.

Inde Stockholmiæ profectus, nuptias Torchilli Marschalci secundas, cum filia Comitis à Ravensberg, XXIV Junii, consummatas, suâ honestavit præsentia, simulque Sueonum Principes. In dotem vero cessit novæ nuptæ latifundium Gumense, cum XI in circuitu prædiis haud inamœnis. Isto insuper Principum & Ordinum conventu, Magnus triennis, Birgeri filius, parenti nominatur in throno Sueonum successor, & literis patruorum firmissimis approbatur, porroque Birgerus filio, & uxori provisorus, quædam condit statuta, in regni observanda, post suum obitum, gubernatione. Sub finem denique solennitatis prodiens Torchillus, se tutoris abdicat officio, in quo tamen à Rege non confirmatur modo, sed etiam majori ornatur potestate, potissimumque ad præstandam regiis partibus fidelitatem obligatur. Unde suspectam Duces illius tutelam habentes, Ambernum, regni Dapiferum, sibi designant proviforem, facta bonorum cum germano divisione, regni que partitione.

Fratrum verò fortunis, potentia & magnificentia Birgerus invidens, ab uxore simul instigatus ambitiosissima, superbissimaque, cœpit clanculum illis meditari exitium. Huic fortassis incendio Torchillus, quod tutoris esset officio à Ducibus privatus, & Valdemarum, dato suæ filia libello repudii, cum Erixi filia, Regis quondam Norvegici, connubium moliri subintelligeret, indignans, fomitem follemque pariter subministravit. Nec frigidam, dubio procul, Ericus Daniæ Rex, Birgeri sororius, eidem suffudit flammæ, nimium gliscenti, affinitatem Ducum cum Norvego sibi infestissimo ægrè admodum ferens. Qua in re fidelem germanæ operam fuit expertus, maritum in leviros impellentis.

In aliis præterea negotiis fertur Torchillus perperam Regi consuluisse juveni, & præsertim, ut insuetis incolas oneraret contributionibus, nimio Reginae fastui satisfactorius. Quam etiam ob causam, Ecclesie Birgerus non parcendum existimans, decimis pauperum Upsalenses sexennio, applicatis fisco, privandos, & huic reluctantes decreto Præsules regni, captivandos, suavis Torchilli statuit. Ita infortunio Suecia, quod deinceps contigit, cepit infelix pedetentim appropinquare.

Atque Haquinus, secundum festivitatem Stockholmensis in Norvegiam revertitur, idque Danus intelligens, hujus socerum, Rugie Principem, Vicislaum sibi foederatum illic ablegavit, Norvego suaturum, æquioribus pacem conditionibus utrinque esse constituendam. Ast morte ibi præventus Vicislaus, negotium liquit infectum, & Danus contumaciâ hostis cognitâ, Suecum occæpit suis inclinare partibus, instigareque, ad fœdus cum Norvego pactum, callidè deserendum.

Quo tempore M. Andreas, Ecclesie Præpositus Upsalensis, huic insignem donavit lapideam domum, in vico Parisiis serpentino, positam, ab illoque nuper multo comparatam argento, ut adolescentes ex sua diœcesi commodiorem Lutetiæ morandi, ac studiis operam navandi, haberent occasionem. Fuit autem præfatus Andreas propinquus S. Birgittæ cognatus, quam modò Ingeburgis, mater, utero gestans, naufragium patitur, à quo, reliquis pereuntibus, illa per Ducem Ericum, forte fortuna superveniente, divinitus eripitur.

Anno MCCCIV. Illustris admodum Scandiæ heroina, S. Birgitta, clarissimis nascitur parentibus, Birgero Petersonio, & Ingeburge, in prædio Sueciæ Finstadiano. Sed in Dania moritur Ericus, Hallandiæ Dominus australis, Valdemari II. nepos ex filio Canuto. Valdemarus autem, Regis Eriçi germanus, Rostochii fatis sublatus, in cœnobio Daniae Sorensi sepelitur. Hic continuus est naturæ cursus, ut hominum unus nascatur, alter moriatur; & alius benignam; alius malignam experiatur fortunam, hujusque insolentiam & Russorum potentiam, ordinis Magister Livonici submetuens, mense Martio, cum vasallis in Esthonia Regis Danici, fœdus in hostes depangit.

Cæterum Birgerus Sueonum rex, pravorum instinctu consultorum, amicitiam fratrum cum Norvego habens suspectam, ipsos à Torchillo, ad convivium in castro Vestrogothiæ Aranensensi, secum vocatos, XXX Aprilis die, cogit suis spondere literis, quod citra regium assensum, regno non essent abituri; haud nisi vocati, regiam cum præfixo satellitum numero accessuri; Nec cum Principibus quidquam externis in perniciem regie vergens dignitatis, machinaturi. Verum diuturna minimè ista fuit transactio; quandoquidem Birgerus, dominandi cupidissimus, maligniore aliorum suavis, indubiam sibi totius regni obtinendi spem facientium, porro seductus, post modicum temporis, fratres his de causis, patriam exilio jubet quantocyus commutare. Principio quod armati per regnum vagarentur, in Regis & regnicolarum perniciem, gravamenque; quod illi cum sectatoribus nimio passim fastu incederent; in Regis similiter & regionum contemptum servitorum; Quod victualia ex regno transmiserint, contra Regis edictum; Ac denique, quod Ducalium unus sectatorum, in regiam non permissus arcem, regium ideo excubitorem graviter pulsaverit.

Neque his respondere objectionibus permissi, ast solum vertere sine mora jussi, ex Suecia in Daniam maturant fugam; ubi modicum consolationis apud Ericum reperientes sororium, adversario suo magis faventem, & præterea Suecum & Danum in Fagredalensi, conjugesque horum

in Knerodensi mox habitis ad limitem hac super re colloquiis, suæ plurimum causæ adversatos intelligentes, inde profugiunt in Norvegiam. Quorum misertus Haquinus, suum ipsis auxilium humanissimè, liberalissimèque promittit, & Nyclaburgum, Kungellamque, firmissimas Norvegiæ munitiones, iisdem incolendas permittit.

Interea verò Birgerus, Ducum in Suecia ditiones & munitiones, armatâ occupat manu, fratrique Ericus & Valdemarus vicem repensuri, crebras ex Norvegia faciunt in Vestrogothiam excursiones; Ludosiam exurunt; Proceres captivos abducunt; & amplissimas inde manubias efferunt. Sed præsidio illic Gulbergenfi, per Suecum fundato, ab incursionibus prohibiti, has in Vermelandos convertunt, inque subacta Dalia, Sueciæ provincia, castrum fabricant Daleborgense, ut reversi ab infestatione Sueonum, illic securum haberent refugium, hujusmodi non intermissuri excursiones, donec patriæ essent tandem restituti.

Hinc igitur proceres, Daniâ extorres simul animati, abruptis induciis, cum Erico statutis, eadem infestant Daniam intentione, illosque Danus perdomiturus, sub brumæ initium, borealem populatur Hallandiam & Varbergum, atque Hunehalsium vanâ premit aliquandiu obsidione. Per idem verò tempus in Daniam Isarnus, à Benedicto XI, Romæ nuper approbatus, & inauguratus, remeavit; qui grandem imposuit clero Daniæ contributionem pro solutione pallii, & viatici ultro citroque commeando, ac Romæ morando, impensi, anno sequenti extortam. Unde ordini non parum odiosus fit Ecclesiastico, quem proinde sibi reconciliaturus, plures subdidit parochias, collegio Lundia Canonico, quam ullus antecessorum, vel successorum. Quando Parisiis adhuc commorans Johannes, Isarni prædecessor immediatus, & spem gerens aliquantulam redeundi Lundiam quandoque, Rigensem penitus cathedram recusavit.

Anno MCCCXV. Maximus Sueciæ Antistes Nicolaus, IV Februarii die, mortis violentiâ de mundo abripitur, illique post quadriennium Nicolaus, Vesmanniæ Præsul, substituitur, vacante interim cathedrâ Upsalensi, propter civilem in regno discordiam. Hæc porro circa anni currentis exordium præcipuè flagravit, quando Birgerus fratrum excursionibus obstaculum positurus, lectissimum regni militem, inter Daliam & Vermelandiam, in præsidio collocavit; quem ducum mandato Mathias Ketelmundius noctu fraudulenter aggressus, prostravit, securamque incursionibus viam paravit.

Itaque Birgerus Dalaborgum, velut commodissimum hostibus refugium expugnaturus, soloque penitus adæquaturus, illuc cum X millibus armatorum festinavit. Cui Duces, insignibus à Norvego cohortibus impetratis, non segnes aut imbelles occurrerunt. Nec ausus proinde ipsis congregari, donorum, non telorum missitatione cœpit cum fratribus certare, procerumque interventu Duces, culpam deprecari rebellionis, tolerabilem hujusque mulctam pacti, & novam pro se & Mathia Ketelmundi, reliquisque sectatorum, polliciti fidelitatem; velut etiam regiis securitatem servitoribus, ac potissimum Torchillo, XV Februarii, sub villa Dalia, Colaseter, gratiæ regiæ & patriæ, bonisque restituuntur. Quod autem pactis essent adhæsuri, sponsores obtulerunt Daniæ & Norvegiæ Reges, Comitemque Holsatiæ, Gerhardum, ipsorum hoc super negotio literas Birgero, ante XXIV Junii, procuraturi, continentibus inter alia, quod fidejussores partem non stantem pactis conventis unâ persecuturi, & Præsules regnorum, diris eandem devoturi.

Ita Suecus, bello perfunctus, ut gratiam Deo referret, velut summo pacis auctori, & clerum regni plurimum sibi offensum reconciliaret,

liaret, fratribusque abalienaret, in conventu Ordinum Stregnesiæ, XXII ante Pascha die, celebrato, pristinam illi concedit libertatem & immunitatem, à quibuslibet exactionibus, multasque de propriis attribuit colonis pecuniarias. Ecclesiam simul, & hujus personas, sub regiam admittens protectionem, ac persecutoribus horrendam interminans ultionem.

Quando etiam ordinibus concordiam cum fratribus initam manifestat, cujus ergo ipsi gratulantur, & summopere lætantur universi, quæ lætitia non multo post tempore in mœstitiâ longe majorem, proh dolor, commutabatur.

Verum Duces ex Dalia in Norvegiam hilares regressi, Haquino plurimum gratantur, ob subsidium contra hostes sibi collatum, atque Dux Ericus in possessione Nyclaburgi & Kungellæ, velut charissimus gener futurus, denuo confirmatus à Norvego, insuper Varbergum & Hunehalfium, subjectamque his ditionem Hallandiæ, flagitat. Atque responsum nactus, quod illa spectarent ad Comitem Jacobum, impulit Haquinum, ut regionem posceret ab illo emendam, & partem non modicam pretii obtulit contulitque.

Quamobrem Jacobus ab utroque hac super re sollicitatus, Regis non dare locum petitioni, probrosum sibi met, immo periculosum, non imprudenter existimavit. Et propterea intuens plurima illa beneficia, quibus ab Haquino, & Erico hujus germano, esset diu cumulatus, Regique præterea se obæratum perpendens, reliquo accepto pretio, Comitatum Hallandiæ borealis sibi hæreditarium, Norvegiæ, XX Aprilis, ad perpetuam incorporavit possessionem. Mox vero partem hujus cum Varbergo, & Hunehalfio, Haquino Duci Erico, velut regni vasallo, assignavit. Tum Valdemarus, Erici frater, ut etiam affinitate arctiorem sibi amicitiam Norvegi compararet, Ingeburgem, ipsius genitam fratre, desponsare, atque Christinam Torchilli natam, statuit omnino repudiare.

Inde postea initio æstatis in Daniam profecti, Ericum Haquino conatur reconciliare, reditumque in patriam exulibus impetrare. Illud quidem pro votis aliquantulum successit, modicis Reges inter constitutis induciis; hoc vero nequaquam. Quippe Danus, quod ficarii se infontes proclamarent, indignans, in comitiis Helsingburgi frequentatis, Erico & Valdemaro cum aliis commisit Principibus, proceribusque internis ac externis, causam probe examinandam & terminandam. Qua paulisper ventilatâ, exules regiæ mortis depræhendunt reos, & propterea crimini læsæ Majestatis alligatos, pronunciant. Tandem proprio invigilant duces negotio, & rogatis, impetratisque sponsum literis, in Sueoniam postliminio reversi, pactis satisfaciunt, & fratrem sibi magis devinciunt.

Cæterum ut culpam discordiæ omnem à fratre & semetipsis profus removerent, totam imputant Torchillo, quem simul aliarum in regno barbarum accusant, tutelæque perperam administratæ, stolido persuadentes Regi, ut virum sibi fidelissimum mandaret captivandum. Etenim principio Decembris, in prædio Vestrogothiæ Lenensi captus, propterea Stockholmiæ perducitur, & carcere includitur, triduoque post soceri illuc adventum, Valdemarus, cognationem obtendens spiritualem, quod à Torchillo de fonte levatus sacro, contractam, matrimoniumque ideo dirimentem, divortium cum Marschalci filia, celebravit. Sed Ericus Birgerum magis inescavit, a quo castrum Nycopense, XXVIII Decembris, data cautione, quod nullam inde perniciem Regi vel uxori, aut liberis illaturus esset, cum aliis bonis mobilibus & immobilibus recuperavit, se Ducem ita Sveciæ scribens, prout Finlandiæ, Valdemarus; Qui suis modo possessionibus etiam fuit restitutus, transactionis vigore Colaseterensis. Ast M. Andreas, Upsalensium

Præpositus, opes in cælo sibi provisurus, quibus nulla hominum noceret malitia, ex terrenis à Deo concessis, nosocomium illud Upsalæ amplissimum fabricavit, & annuis redditibus liberalissimè ornavit.

Anno MCCCVI. Stockholmæ Torchillus judicio præsentatus, velut tutor minorennium infidelis; Ecclesiasticæ oppressor immunitatis, & malorum consultor perplurium, morti adjudicatur, quam subiit X. Februarii, in suburbio australi percussus securi, & ibi tumultu conditus profano, donec fautorum precibus Rex esset placatus, Ecclesiæque Sueonum pro damnis, CL libris argenti munerata, sacram illi permitterent sepulturam, in exedra Franciscanorum, circa Pentecostes festivitatem. Hujusmodi subverentes exitium, optimates Daniâ extorres, & sententiâ offensi latâ Helsingburgi nuper in absentes; velut etiam quod securus non pateret ipsis eò accessus, crebrisque peterentur Regis Erici passim insidiis, indignantes, Norvego ad hanc denuò militiam pertracto, patriam incurfarunt.

Nam sub Tornborgo facta inprimis descensione, cum Danis acerrimè dimicarunt, victoriâque animati, Hafniam sub ipsam navigarunt; ubi descensu prohibiti, proras Norvegiæ obverterunt. Misertus autem Danus patriæ, toties Noricorum armis vastatæ, cum Haquino, non citra difficultatem, ita transegit, ut pax regna inter vigeret imposterum stabilis, nec ficarios in Norvegia illos diutius foveret; Qui proinde nullibi refugium habentes, ad Romanum appellarunt tribunal, & latibula passim captarunt.

Sed nihilominus fundos proscriptorum in Dania sitos, invasit Ericus, quorum non modicam Valdemarus, Jutiæ Dux australis, partem in suo positam Ducatu, sibi vendicans, per latam Sunderborgi à Senatu regni sententiam, XIV Augusti, resignare compellebatur. Ideoque gravis suboritur discordia ipsum & Regem inter, quæ Novembris initio fuit sublata, & non pristina modo amicitia renovata; sed etiam foedus quoddam Rex cum Valdemaro, & Erico, hujus germano, Langlandiæ Domino, pepigit. Norvegius autem, pace cum Dano firmata, rebelles domare Islandos meditatur, qui viribus suis diffisi, veniam flagitant contumaciæ, & nova subjectione promissa, eam impetrant. Nec est similis vero Arngrini assertio, contentis Norvegos modò plenam, non prius, Islandiæ possessionem obtinuisse, prout ex præcedenti hujus liquet operis contextu, meridiana clarius luce.

In Suecia porro ad novum omnia vergunt tumultum; Siquidem Duces, Torchilli prudentiam non metuentes amplius, & thronum regni appetentes, vel forsitan insidias sibi Birgerum moliri subaudientes, arma per ætatis decursum taciti cuderunt.

Quibus sedulo confectis, intelligunt Regem in Hatuna Uplandiæ inermem commorari, & ne fama illuc transvolans, illum discriminis admoneret, principio autumnii, se nuptiis servitorum in Ostrogothia intentos celebrandis simulant, & quam occultissimè ocyssimeque militem eò per invia regionum ablegant. Ipsimetque protinus tacito subsequuti vestigio, Birgerum fratrem, nihil suspicantem periculi, XXIX Septembris, cum uxore, liberis, Nicolao Arosiensium Episcopo, VI Equitibus, & XVI aliis viris nobilibus, captivatum, se throno abdicare, primariamque regni urbem resignare, Stockholmiam, compellunt. Huc proinde Rex perductus, frustra mandat incolis pandere civitatem, arcemque fratribus; quos propterea mox obsident Duces, operâ Matthiæ Ketelmundi, & Nycopiæ captivos tradunt custodiæ.

Cum reliquis postea copiis per regnum digressi, ipsum subjugare nituntur. Verum in præfato Hatunæ tumultu, regionum quidam servitorum, primogenitum Birgeri Magnum, hæredem throni designatum, arripuit, & per occultos illum calles deportatum in Daniam, Erico commendat avunculo; parentum manifestat infortunium, hisque auxilium lacrymabundus

implorat. Quibus idcirco Rex compassus, sub brumæ initium cum ingenti Sueciam versus contendit exercitu, sororem & sororium liberaturus, nec hostem offendit imparatum. Itaque non ausus Ducibus congregari, sub Bogefundio, Gothiæ australis, mense Decembri, annuas cum ipsis inducias paciscitur, ut interim de captivis consultaretur libertati restituendis, inque Daniam regreditur.

Anno MCCCVII. Duces metu hostis liberati, summoperè lætantur, nec induciarum tempore ociati, regno pedetentim universo potiuntur, favores incolarum aucupantur; privilegia Ecclesiasticis ac politicis roborant, tertioque Paschæ festo, Upsalensium Collegio patrum veterem confirmant immunitatem, & decimas eidem pauperum approbant. Percommode autem iis accidit interea, quod Rex Danorum, cremato Hielmensi præsidio, velut exulum latibulo, & spoliatis in Dania mercatoribus Norvegiæ, pacis conditiones nuper constitutas fuerit transgressus; Illâque plurimum gavisus occasione Dux Ericus, Norvego suadet, ut prosriptos sub suam denuo admitteret protectionem, & Dano bellum inferens, illum paulisper distineret à ferendis Birgero subsidiis. Hinc ille non difficulter persuasus, ordines Nidrosiam convocat, & ibi promisso exulibus patrocínio, bellum Dano, II Maji die, palam denunciat.

Quamobrem subverens Ericus, quomodo Suecorum & Noricorum conjunctis obrueretur armis, non modicam collocat spem in Holfatorum subsidio, atque ne aliis distinerentur ullis hostibus, Gerhardum illorum Principem, Dithmersis & Lubecensibus reconciliat. Non minus etiam metuens, ne Christopherus frater, sibi parum addictus, hujusmodi flagrante bello, sceptrum invaderet Danicum, collato ipsi Hallandiæ australis Ducatu, & Samsægico, satis eum sibi fidelem reddidisse arbitratus fallitur. Etenim confidens ille Sueonum & Noricorum ope ac opibus, se Danico potiturum per hanc occasionem diademate, cum utrisque secretas cœpit conspirationes, nec amicitiam ideo spernens ficariorum paternorum, qui multa valebant autoritate, potestateque, non in Suecia & Norvegia modo, sed ipsa etiam Dania potissimum. Neque Rex Ericus suis indormiens rebus, quibusdam Haquinum blanditiis & amicitiae officiis, placare conatur, præcipueque apud illum se insinuerat, suadendo, ut filiam Magno Birgeri nato daret Ingeburgem, non Erico Duci, & hunc Varbergo cum Hallandia spoliaret, quod, velut propriæ esset patriæ infidus, ita & Norvegiæ.

Nec furdo cecinit fabulam, cum Haquinus isto seductus sermone, ab Erico Duce plurimum cœperit alienari. Ast Ericus fraudis ignarus, nuptias apparat, & mense Augusto, prope limitem regnorum cum Norvego colloquens, virginem postulat. Responso autem accepto, quod Varbergi & Hallandiæ præmittenda esset nuptiis resignatio, dolum persentiscit, ideoque connubium hac recusans conditione, domum festinus recessit. Quando frater Valdemarus, in Germaniam sub votivæ prætextu discessit peregrinationis, & tempore autumnii reversus, DCCC secum equites Germanos adduxit in Sueciam bellacissimos, non magnopere deinceps formidans Dani & Norvegi conspirationes.

His tamen solito animosior Ericus Rex, cum terminus appropinquaret induciarum, nec ulla affulgeret spes liberationi captivorum, novum in Suecos bellum molitur. Verum Duces hosticum prius invadere conflatum arbitrantes, intermissâ paulisper Stockholmensium impugnatione, cum MCCC equitibus Scaniam infestant; spoliant; prodromas Dani copias profligant; comneatum absumunt præmissum, & sensim hostes præcedendo, necessaria præripiunt undequaque victualia; viasque passim

obstruunt. Quibus Danus compulsus difficultatibus, brumæque asperitatibus, Ducum flagitat colloquium, idque nactus sub Liungby Smalandiæ, induciarum consentit instaurationi, & novi his de rebus colloquii circa Theophaniam frequentationi. Quod in Orchneliung, octiduo ante natalem Domini, fuit inchoatum, & sine ullo fructu terminatum, proptereaque bellum fuit continuatum. Isto demum anno currente, Johannes Grand, exul Lundenfium Antistes, cathedram nactus Bremensium vacantem, illis quoque deinceps lites intentat perniciosas, homo seditiosus & morosus, nec sententia contentus sui præbyterii, ad Pontificem provocat, Avennonemque festinat, ubi vitam terminavit inquietam.

Anno MCCCVIII exoriente, Duces peregrinum ex hostico reditum militem, in hybernis per Ostrogothiæ collocant civitates. Agricola vero crebris ab illo devexati excursionibus, concursu semel facto, prædones rus obvagantes merito trucidarunt. Horumque cladem superstitibus vindicaturi commilitones, vel potius congerrones, ex civitatibus confluunt, ac populo congressi, crudelissimam ejus stragem perpetrarunt, quam infantium vindex Deus, non Duces, postea multavit. Ipsimet siquidem continuo regnum peragrantes, novis illud contributionibus, & aliis gravaminibus onerantes, afflictis potius afflictionem quam consolationem addiderunt. Hinc verum fuit comprobatum istud proverbium, quod dominis corrixantibus vel præliantibus, subditus ipsis populus, opes, crines, cutem, sanguinem, & vitam denique impendere cogeretur.

Verum enimvero Danus, quod Orchneliungensis non successisset transactio, Erico & Valdemaro infestior redditus, tertiam interea parat expeditionem, pro sororis & sororii liberatione. Nec ipsam Principes Sueciæ ignorantes, arma similiter expediunt, & colloqui cum ordinibus Orebrogia, de belligerando, vel cum hostibus transigendo, consularunt; Ibi que cognita Danorum in Vestrogothia grassatione, soluto conventu, illis obviam prodeunt. Atqui Christophero Hallandiæ, Valdemaro Justitiæ, Erico Langlandiæ, Ducibus, ac Henrico, Glycensium Comite, sequentibus, inter Regem & Duces, altero Maji die, ita tertium convenitur, ut exinde ad VIII. usque Septembris diem anni sequentis, inviolabilis utrinque pax esset observanda; Et interea temporis Birgerus, cum uxore, liberisque, de custodia producendus, ac post sesquianni curriculum, præsens univèrsa sub prædio Smalandiæ, Marcheridensi, XXVII Augusti, tandem jure, vel amice esset componenda.

Quapropter utrinque canitur receptui, & Sueonum optimates cum Ducibus Nycopiam regressi, Birgero pacta offerunt, & ipsi libertatem deferunt, prius omnem adversariis offensam, condonato, idque literis & juramenti comprobato. Quibus citra tergiversationem effectui mandatis, ac insuper Eucharistiæ sumptione per Regem roboratis, de custodia producit, & regni throno incolumis restituitur. Nec diu pactis stetit Birgerus, inconstantis animi Princeps; Quandoquidem mox immemor tantæ obligationis, in Gotlandiam cum suis profugerit, & Daniam inde festinus adiverit, suam vindicaturus captivationem. Cæterum toto diffidii tempore, Agnes, Birgeri filia, in Schogensium contubernio virginum, velut in asylo, commorabatur.

Isto autem temporis intervallo, Rex Ericus in Daniam reversus, Christophero fratri vehementer succensuit, quod intelligeret illum, Vestrogothiam in reditu contra pactum diripuisse, & nihilominus cum Sueciæ Ducibus, Norvego, ac proscriptis ex Dania optimatibus, nefarias habere

bere conspirationes. Proinde nec se excusare, nec tutò in Hallandia permittus habitare, sparsis per Daniam literis, æquam minus suam conditionem deplorat, & incolarum auxilia implorat, repulsamque passus, regno excedere meditatur, post tamen fratri reconciliatur.

Hactenus porrò Haquinus Norvegiæ Rex, munitionum & ditionum ab Erico Duce machinans recuperationem, & quod bello non auderet, dolo efficere meditans, Ericum hac vocat intentione sub Kungellam ad colloquium, ut arcem ibi forsitan ingressum obsideret, cogeretque ipsam, & Varbergum resignare. Advolat vero intrepidus, matrimonii cupidus, & fœderis in hostes pangendi, atque fraude primo depræhensâ congressu, in Sueciam præsubitò remeat. Ideoque sua frustratus spe Norvegus, Kungellam quinis impugnat septimanis, & non expugnat, propterea, sicut & Jacobi Comitis suavisu, propinquum extruit Bohusium, ut hinc impelleret Kungellenses ad deditionem.

Nec Birgero ac Erico, Regibus, ingrata fuerat illorum dissensio, qui protinus effecerunt, ut Haquinus promitteret, Legatos se Hafniam transmissurum, pro omnimoda controversiarum transactione. Quocirca illuc postmodum expediti sunt Præsul Aslogensium, Helgo, ac Ericus, incestuoso quondam Valdemari Regis, & Jutæ amplexu procreatus, inque Norvegia educatus, atque post diuturnam gravaminum exaggerationem, XXIX. tandem Augusti die, pax Danos & Norvegos inter, cum fœdere in hostes, approbatur; Magno Ingeburgis deputatur; Haquino pro maternis in Dania fundis, Hallandia borealis assignatur; extorribus patria sicariis perpetuò futuris; hæreditariorum portio quædam bonorum conceditur; ac colloquio, ad XII Junii diem proximam, inter Danum, Suecum & Norvegum, de his porro consultaturos, Hafniæ instituendo, denique subscribitur.

Quam Haquini perfidiam, & Kongellensem Ericus plexurus impugnationem, exercitu in Norvegiam traducto, ipsam ferro & flamma usque Aslogiam devastat, cæsisque tribus hostium millibus, sub Achershusio castra, mense Decembri, firmat, & illud accerrimè impugnat aliquandiu, Haquino subsidium ferre obsessis nequaquam audente. Propter hujusmodi cum externis & internis hostibus tumultus, cathedra permansit hæctenus orba Upsalensis, quam modo conscendit Nicolaus Vesmanniæ Antistes, ipsamque contra inimicorum molitiones, egregiè defendit. Studio etiam illius, pervetus S. Erici sepultura, diu, multumque, nequicquam indagata, modò in Ecclesia ruralis Upsaliæ, XXIV Novembris, invenitur, & cippo marmoreo magnificè cooperitur.

Sed ultima terrarum, nunc invitat calamum Islandia, & memorat impensis Arneri, Præsulis Scaltholtenfis, & Hauconis Nomophylacis, ibi Gaulverialense clericorum insigne nosocomium, hoc esse tempore fundatum, & nostro postea desolatam.

Anno MCCCIX. In morbum Dux Ericus gravissimùm, sub Achershusio Norvegiæ prolapsus, soluta obsidione, in Sueciam cum exercitu properavit. Haquinus vero tantam suo inflictam regno cladem, nolens inultam, binis vicissim agminibus bellatorum, finitimas hostici regiones incurfavit, quorum una cum triumpho remeavit, sed ingentem alterâ suorum cladem reportavit, à Daleborgensi profligata Castellano. Quamobrem Nervegus, connubio filiæ confirmato, indubium à Sueco & Dano affinibus expectans subsidium in hostem, usque contumacem & bellicem, per expeditos iterum legatos, Marstrandii, XVI Maji die, pactis subscribit Hafniensibus, spondendo Ingeburgem Magno, & si ipsemet sine masculo decederet hærede, cum illa sceptrum Norvegiæ, dotemque præ-

præterea VI millia librarum argenti, velut etiam promittens in hostes auxilium, donec posita rebellione, Birgero auscultaret, quodque sponfis IV cognatis gradu, nubendi ex urbe facultatem impetraturus esset. Post Legatorum porro reditum, illemet Haquinus cum instructissima navigat classe Daniam versus, & plurimis in Kalvesundio relictis navigiis, cum navi prætoria Hafniam contendit; Ubi præsens Birgero & Erico præfata approbat pacta, XVIII Julii die, horum prævaricatorem subjiciens maledictioni, Danique obtinens promissum super bello, Ducibus Sueoniæ actutum inferendo. Interea Dux Ericus hærentem in Kalvesundio Norvegi classem aggressus, ipsâ devictâ, eximias inde VII hostium biremes abduxit, non modicis onustas manubiis.

Nec tamen ita Norvegi levitatem, & nuperam Daliæ, Vermelandiæque calamitatem ratus compensatam, partem classis victoriosæ, prædatum accolæ Norvegiæ maritimos, infortunato nimis usam successu, expediverat. Etenim Norvegi cognito hostis adventu, arma corripunt, confluent, & Sueones prorsus obruunt, interimuntque. Novo propterea suorum commotus interitu, Ericus, terrestri hosticum pervadit exercitu, ipsoque horrendis mulctato cladibus, cum hostis nusquam compareret, opulentas domum copias reduxerat. Sed interim Haquino ex Dania remeanti, suos adjungunt Legatos Ericus & Birgerus, Reges, in quorum præsentia Ingeburgis fuit, absenti Magno Aslogiæ desponsata, hisque mater nuptiis Euphemia, Erico Duci longe propensior, plurimum est adversata.

His igitur consummatis, Danus Sueco & Norvego promissam laturus opem, illumque throno restitutus, immensum ex Dania & Germania cogit exercitum, nempe LX armatorum millia, tantisque in Vestrogothiam tendentibus copiis, Duces obvii aperto congregi Marte temerarium rati, ex insidiis ipsas adoriri statuerunt. Ac proinde lento hostem gradu præcedentes, omnem illi præripiunt subsequenti comitatu, & novo Scaræ ac Ludosiæ imposito præsidio, nemus emetiuntur Holvegianum, ibique Danos aggressuri, oppressurique, quodam deterrentur ostento. Pugnâ idcirco posthabitâ, Valdemarus, cum parte copiarum ad Uplandiæ festinat defensionem, & cum reliquo Ericus Calmarniam properat exercitu, ut Smalandis, Vestrogothisque tempestivum ferat auxilium.

Atque Reges Jenecopiam progressi, castrum illic quantocyus restauratum, suo firmant præsidio, Ducum ita prohibitori excursiones, de inferioribus regni provinciis in superiores, indeque Nycopiam digressi, hanc mense Septembri exeunte, arctissima ligant obsidione.

Dux autem Ericus militem ex Germania nactus Calmarniæ, cum ipso Smalandis & Westrogothis conjuncto, Jenecopiam oppugnat, & expugnatam solo adæquat, victorque in Vestrogothiam reversus, sub Axvaldio hostem decrevit reducem, pugnâ excipere.

Interim Haquinus ex condicito, Hallandiam Erico domi hostibus distento, eripere conatur, nec sua omnino spe frustratur; Quandoquidem præfectus Kungellensis, ab Haquino graviter impugnatus, non tam hostis, quam fundorum in Norvegiâ amittendorum metu, fortissimam dedit munitioem. Verum fortius & honestius multo se præsidiarii gesserant Nycopenses, ubi nimiam passus cladem Danus, velut etiam fame, peste, ac militum contumaciâ, reditum ideo protervius flagitantium, lassus, strageque Jenecopensium quassus, mense Decembri, trimestrem cum ignominia solverat obsidionem.

Ne tamen re prorsus infecta, in Daniâ rediret, Erico sub fide publica vocato in castris comparenti, deque cladibus regno illatis graviter querenti, persuasit, ut discordiâ cum Birgero fratre penitus explosâ, in

gratiam cum ipso rediret, eique debitam ex regno portionem impertiret, & colloquio Helsingburgi, XV Julii, peragendo (in quo reliquum discordiæ foret dirimendum) consentiret.

Hoc pariter tempore, à Nidrosiensibus Eilephus quidam salutatur Antistes, & Schalholtenfis Islandorum incendio vastatur Ecclesia, quæ Regis Haquini munificentia pristina fuit deinceps magnificentiæ restituta. Cæterum Archiepiscopus Daniæ, Isarnus, sibi arrogans soli designationem illic Decani, cadit causa iudice, Ottoniensium Episcopo, qui Canonico Patrum Lundensium Collegio, ex veterum tenore privilegiorum, id tribuerat potestatis.

Anno MCCCX. Ericus Sueoniæ Dux illustrissimus, pacem nuper domi nactus, foris arma proferre statuit, seque Kungellæ accingit recuperationi, quam, advocato in subsidium ex Uplandia fratre Valdemaro, acerrimè oppugnavit. Obsessis autem intelligens auxiliares adventare cohortes, his tempestive obviat & profligat, acriusque castrum impugnat. Igitur præsidiarii nihil amplius subsidii expectantes, deque arcis propugnatione desperantes, impetratâ vitæ ac bonorum immunitate, Ducibus Kungellam prodiderunt. Quo tristi Haquinus nuncio perculsus, & Vichiæ subveritus insuper depopulationem, Erici desiderat colloquium, istudque adeptus, jejunii principio cineralis cum illo aliquantulas paciscitur inducias; Quando simul Ducem vehementer admonuit exautorandi militis peregrini, ob proprium suadentis lucrum bella, indigenis perniciofa.

Nec amicam contemnens admonitionem Ericus, indubiamque concipiens spem, concordia cum finitimis statuendæ Principibus, externo vel interno haud indigentis milite, prope solennia Paschæ alienigenas, Ludosiæ convocatos, splendido excipit symposio, & tandem salariis, honorariisque magnifice donatos, primarios cingulo insuper equestri decoratos, cum eximia nominis sui gloria, ad proprios remittit penates.

Verum octiduo ante festivitatem Paschæ, Danus mediam Gnojenfis provinciæ portionem Vicislao, Rugianorum Principi, pro binis librarum argenti millibus, oppignoravit, & ita Mœoniam ab ipso recuperavit. Jam vero tempus conventui assignatum Helsingburgensi appropinquabat, ideoque Duces illuc profecti, post quatruiduanam cum adversariis corrixationem, demum XX Julii, Dano & fratre hujus Christophero, Gerharo, Holfatiæ, & Henrico Megapoliæ, Comitibus, ac Regni Consiliariis utriusque sequestribus, cum Birgero hac redeunt via in gratiam. Nimirum quod is cum regia dignitate pristina, ex Suecorum, Gothorumque regno habiturus esset imposterum, Helsingiam, Fiedrunniam, Vefmanniam, Södermanniam, Ostrogothiam, Vidbogiam, Visingiam, Brennevistiam, Rydingiam, Thuetiam, Verenniam, Gotlandiam, australem Finlandiam, & partem fundorum patrimonialium, metalli fodinarumque.

Reliquis porro ditionibus regni, Duces sub feudo, & pro servitiis Regi præstandis, fruituri; fraternâ gratiâ gavisuri, & fœdus cum Dano, Birgero, Holfato ac Megapoliensi adversum hostes inviolabile essent percussuri. His demum pactis subscripserant nomine Birgeri, Rex Ericus, Dux Christopherus, Nicolaus Upsalensis, Brynolphus Scarenfis, & Magnus Vexionensis, Antistites, cum LX. viris nobilibus. Verum pro Ducum parte sponponderant sua subscriptione, præfatus uterque Comes, & alii optimatum plurimi.

Postridie autem Danus pacem inter Norvegum absentem, concesserati adscriptum, & Duces Sueonum instauravit, ea tamen lege, quod Magno, Birgeri filio, Ingeburgis & Sophia, sorore item genita Regis Erici

rici alterâ, Nicolai Verlentis conjugæ, Duci Erico, in matrimonium essent collocandæ; Et hæc quidem habitura dotem à sponso, marcas mille Uplandicas, borealemque ipse vicissim, & liberi Hallandiam possessuri. Cæterum si absque liberis ille decederet, vidua superstes uxor, pro bonis perciperet vitalitiis, bina librarum millia defæcati argenti, eamque Dux, XI Novembris, præsentatam à Comite Gerhardo, Falchenbergi exciperet; Non tamen prius cognatam ducturus, quam Româ obtineret dispensationem.

Finito proinde conventu, Duces in Sueciam reversi, ordines regni congregant Arbogiæ, hisque, IX Augusti die, Helsingburgensem intimant transactionem, qui eam & dotem Sophiæ promissam, lubentes approbant, confirmantque. Quod tamen connubium non processit, cum Erico Jutiæ Principi, nupsit postmodum Sophia, Falchenbergi frustra comparens; ut neque pactum Helsingburgi, Regis Haquini constitutum nomine, successit.

Transactione vero Helsingburgicâ fretus Rex Birgerus, illâque non parum lætus, aliquot argenti libris à Dano acceptis, intra triennium solvendis, in patriam reditum maturavit, ubi suis contentus ditionibus, aliquantisper conquiescit. Interim propter quoddam æs alienum suborta inter Ducem Slesvicensem Valdemarum, & Rostochenses controversia, mense Decembri, per Ericum Regem, velut horum Dominum, dirimitur. Isto præterea anno, Isarnus Lundensis ex Dania in Italiam ad Salernitanam transfertur cathedram; sed Lundensis prænobili confertur viro, Esgero Juel. Qui affixis mox illic literis, mandat peregrinis, Lundia proprium non possidentibus domicilium, ut cryptam Basilicæ pro Ecclesia agnoscerent parochiali, & frequentarent. Quando claustrum Roschildiæ Franciscanum conflagravit, & prælustri Sueciæ Dapifer, Ambernus, nepos Erici, & Rechiffæ, olim Sueoniæ dominantium, de vita migravit.

Anno MCCCXI. Norvegus cum Dano minus bellè contentus, quod nuper Erico Sueonum Principi, feudum Hallandiæ borealis, ad se potiori jure ob donationem Comitis Jacobi spectantis, impertiverit, cum illo per legatos graviter propterea exposulavit. Horum vero literis cognoscens, omnimodam sibi Regem Ericum arrogare jurisdictionem in Hallandiam, quod ea regni Danici limite inclusa, per Danicos olim Reges, Jacobi majoribus in compensationem quorundam Suerini fundorum collata, & modo propter læsæ crimen Majestatis, à Jacobo perpetratum, esset iterum ad regni fiscum meritò devoluta, ideoque perexiguam concepit spem, illius à Dano impetrandæ, & vocatis ad colloquium Sueciæ Ducibus, XVII Martii, persuasit regionis & munitioem, scilicet Kungellæ, Hunehalfii, atque Varbergi, resignationem, XIV Maji, mandandam executioni.

Tantam porro Haquinus benevolentiam remuneraturus, Erico Duci filiam denuo suam, & thronum spondit Norvegiæ; Ast Valdemaro natam fratris, Ingeburgem quoque appellatam, despondit, dotem cum ipsa habituro, III. librarum millia argenti, promissum à Ducibus simul impetrans, quod se Erico, Birgeroque, Regibus excusaturi, & indemnem omnino servaturi; velut etiam quod Erico, Valdemari quondam in Sueonia Regis filio notho, qui hæcenus regii fuisset facelli apud Haquinum Magister, & nunc politicam affectaret conditionem, Marchiam Vestrogothiæ, forent concessuri. Haquini vero legati, hujus tacitæ ignari transactionis, Hafniæ, XII. secundum Pascha die, juramentis & literarum pollicentur documentis, quod ibidem, VII Julii, controversia Norvegi atque Ducum Suecicorum, Dano sequestro, esset dirimenda. Tam fluxa etiam Principibus fides. Sed

Sed isto non procedente conventu, Rex Ericus domi minime de-
tentus, foras animum convertit, & alium cum Germaniæ Principibus
Rostochii frequentare constituit. Huc igitur tantus optimatum fiebat
concurfus, ut ex illustri Equitum auratorum ordine haud pauciores con-
venirent, quam DCCCXLVIII. Istamque cives frequentiam & magnifi-
centiam, ac Regis potissimum præsentiam, sibi ob contumaciam subirati,
suspectam haud immerito habentes, ipsum urbis aditu, cum reliquis con-
venarum, excluderunt. Quem ille despectum dissimulat; extemporanea fa-
bricat diverforia, tentoriaque in planicie suburbana; ibi Principes & pro-
ceres convocat; cum ipsis de quibusdam Germaniæ, Daniæque negotiis
consultat, & tandem splendidissima celebrat convivium, spectaculaque cla-
rissima. Quibus cum insigni nominis sui gloria consummatis omnibus,
cum finitimis, Megapolæ, Pomeraniæ, & Rugiæ, Principibus, fœdus in
rebelles pepigit Rostochenses.

Ad hunc etiam accitus conventum, Dux Sueonum Ericus, in eo ma-
gnificè comparuit, heroiceque admodum se gerens in spectaculis, enco-
mio non caruit. Deinde Rostochio hic ad concilium properat, nuper Vi-
ennæ inchoatum, sub prætextu, ut arbitratur, impetrandæ licentiæ cum
Sophia matrimonium contrahendi. Illic quidem, & toto passim itinere,
susceptus perhonorificè, dispensationis, dubio procul, obliviscitur ac-
quirendæ, atque celebrioribus Europæ regionibus, urbibusque peragra-
tis, Scondiam versus revertitur. Interim Rex Ericus in Vandalia adhuc
remanens, quandam dirimit litem, inter Adolphum & Gerhardum, Hol-
fatiæ flagrantem Comites. Verum arbitro Christierno, Ripensium Anti-
stite, controversia Regis cum Nicolao à Verle sororio, integram pro di-
tione Rostochensi, se nec dum percepisse solutionem contendente, fuerat
dirempta. Postea Henrico Magnipolensium Comiti, feudum renovat
ejusdem provinciæ, quam jure beneficiario, non hæreditario, vel hypo-
thecario, se fateretur per gratiam Dani obtinere, & propterea illam repo-
scenti, sine tergiversatione resignandam pollicetur.

Atqui Rostochenses nec Erico, nec Henrico diutius subesse volen-
tes, & conspirationem Regis cum vicinis initam nuper Principibus, ante-
vertendam haud imprudenter statuentes, pacto etiam fœdere in hostes
cum Vismariensibus, Stralsundensibus, & Griphisvaldensibus, in Dana-
borgum regiam sub urbe sua munitionem, inprimis impetum faciunt;
illam capiunt, evertunt, & modernam ibi speculam construunt. His do-
mi primordiis belli factis, cum instructissima erumpunt classe in Ocea-
num, Daniamque aggressi, quasdam hujus insulas ferro & flamma crude-
liter affligunt.

Sed in Scandia Esgerus, Daniæ novus Archipræsul, quod à Nicolao
Sueonum primario Antistite, primatus non obtineret honores, Ecclesia-
stico canit bello classicum. Nec pugnam ille detrectans, suos bellatores,
vel potius oratores, ad Concilium ablegat Viennense, ubi fervido utrin-
que conflictu est dimicatum. Interea domi alium Nicolaus adversarium
nanciscitur, nempe quendam Botulphum ab Oesby, parochiæ Gutteroren-
sis, in diœcesi Upsalensium, incolam, qui eò processit nunc impietatis, ut
præsentiam Christi in Sacramento Eucharistiæ, inficiaretur, stolidè con-
tendens, à sacerdotibus dudum esse consumptum, nec in carcere tormen-
tisque hanc deferens insaniam.

Anno MCCCXII. Danus rebellionem & excursionem Rostochensium,
omnino mulctandas decernens, causas promulgat, quibus compulsus,
bellum ipsis inferre cogeretur. Deinde promissa nuper in contumaces,
Principum flagitat vicinorum subsidia, & Megapolensis primus, Branden-
bur-

burgensis secundus, ad istam properant militiam; tertius verò, Ericus Sueonum Dux, qui per Daniam modò contendens in patriam, Sœburgi, XVII Aprilis, petitum spondet in Rostochenses pariter auxilium. Horum igitur & Danorum fretus viris, ac viribus, prope sollennia Pentecostes, fixis sub Rostochio castris, ipsum vehementer impugnat, & quidem successu fortunatiori, postquam cum novis huc accederent copiis Pomeranorum, Holsatorum, Schavenburgensium, Verlensium & Slesvicensium, Principes, ac proceres. Atque hujus inprimis remuneraturus benevolentiam, feudo ipsum Jutiæ australis, IV Julii die, illic solenniter admodum investivit, in illa successurum parenti Valdemaro. Nec multo post tempore hunc mortuum intelligens, Ericus, provinciæ suscipit administrationem, & cum Rege ita transigit; quod sua cum illo controversia super Langlandia, Frisiaque, annuo esset quietura intervallo.

Sed quem discordia finem sortita, Lundensis & Upsalensis Præfulum in concilio hactenus Viennensi ponderata, Scondiani, vel Germani, non memorant scriptores; Hujus tamen ex progressu Historiæ constat, Esgerum Nicolao prævaluisset. Interim porro Dux Ericus memor benevolentia, sibi nuper à Lubecensibus peregrinanti exhibitæ, Augusto mense, in cœnobio Vestrogothiæ Varnhemensi, non citra fratris assensum Valdemari, præfatis concedit negotiatoribus facultatem, per Nynum Finlandiæ, Novogardiam Russiæ, cum mercibus navigandi.

Nec etiam oblitus matrimonii, cum illustri virgine Sophia inchoati, est propinquâ nimium cognatione, denegatâ, velut prætendebat fortassis, dispensatione, impeditus, ab illius consummatione, promissam Norvegiæ filiam, Dano hujus connubii adversario, Rostochium oppugnante, uxorem statuit ducendam. Quocirca principio autumnus, Ericus & Valdemarus, Sueonum Principes, in Norvegiam profecti, Aslogiæ XXIX Septembris, quâ par fuerat magnificentia, sponsis copulantur. Secundum verò nuptiarum festivitatem, novis ibi uxoribus relictis, in Sueciam regressi, repotia sedulo præparant, sequenti anno celebranda.

Haquinus etiam aliis postea regni negotiis se accingens expediendis, legatis in Scotiam expeditis, pactum anni MCCLXVI, super insulis Sudorensium, Manerensium & Hebridum, cum Roberto, Scotorum rege, initio Novembris, renovatum confirmavit, contumacioremque hujus prævaricatorem, Romanæ execrationi, & X millium librarum argenti, submitit mulctationi. Verum XIX Octobris die, Isarnus quondam Danorum, & modò Salernitanorum in Latio, Antistes, vivis excessit. Interea temporis, rex Danorum Ericus, capto Vernemindico Rostochensium propugnaculo, Danaborgum ibi restauravit, multoque acrius obsessos impugnavit. Qui proinde diutius tantæ hostium potentia, haud valentes reluctari, promissâ Regi & Comiti novâ subjectione, quatuordecemque millium librarum argenti, ob rebellionem, solutione, Decembri mense, urbem dederunt, & veniam diruendi penitus Danaborgum, ac speculam ibi aliam construendi, obtinuerunt.

Hinc propterea Danus cum victoria domum reversus, Erico, Sueonum Duci, ob Sophiæ repudium minatur, & habito prope Theophaniam Helsingburgi colloquio, sic ipsi amicatur, quod Falchenbergi post novimestre temporis spacium, omnis super hoc matrimonio controversia, per arbitros utrinque delectos, esset prorsus dirimenda, & pax interim Suecos, Danos, Norvegosque inter conservanda.

Anno MCCCXIII. Griphisvoldenses, XXV Januarii, gratiam Regis Danici tribus Brandenburgensium millibus marcarum, redimunt. Quam Rostochenses, illorum complices, festo Paschæ literis acceptis, etiam ple-

nè recuperant, veteresque in Dania libertates negotiandi. Deinde actio Falchenbergi, sub autumnum ventilanda, principio æstatis Helsingburgi inchoatur, & die Martis, post sollemnia SS. Trinitatis his conditionibus terminatur: Dux Suecorum Ericus, centum nobilium juramento viro- rum, se purgaturus, probaturusque, quod metu ultionis divinæ, ob propin- quam nimis copulam sanguinis, non contemptu quopiam, repudiarit Sophiam; Avunculo hujus Erico, Danorum regi, præter subsidia in hos- tes identidem paratissima, IV, & parenti virginis, Nicolao Verlenfi, II li- brarum millia argenti esset numeraturus, ac trimestre adversus hostes auxilium laturus, horumque asserit omnium satisfactionem Dux, datis Koldingæ literis, & XVII sponsoribus, circa XX Julii diem, executio- nemque.

Hic novam Duces Sueonum nihilominus collationem Hallandiæ à Da- no impetrarunt, ut firmior impostero inter Suecos, Danos & Norvegos, vigeret ac floreret pacis observatio. Quando Nicolaus à Verle, Regi spo- pondit leviro quod ipso inconsulto, filiam nemini Sophiam esset elocaturus. Henricus autem, comes Megapolensium, Magno Birgeri filio, Eu- phemiam, Vicislai, Rugianorum principis, natam pollicebatur modò spon- sam, dotemque cum ipsa, III librarum millia defæcati argenti; quarum vice, Magnus virgini, DC marcarum reditus assignaturus esset annuos, quos, ipso sine liberis mortuo, hæredes à Sophia forsitan superstite, redimerent VI mille argenti libris. His porro cognatis Birgerus Rex, licentiam nubendi Româ impetraret, & condicito Vordingsborgi tempore, Da- num ac Rugianum hoc super negotio conveniret pluribus examinan- do, roborandoque.

Domesticam præterea litem habuit Danus, cum Erico, Slesvicensium domino, quod mortuo nuper patruo sine liberis, Erico Langlandiæ prin- cipe, sibi quandam arrogasset jurisdictionem in Langlandiam & Frisiam. Atqui provinciis ab eo recuperatis, IX Augusti die, pristinae ipsum concordia, gratia & amicitia, novis obligatum pactis, ratione potissi- mum auxilii, contra hostes ferendi, restituit. Octobri autem postea mense Danus, Petro Porfe, ficariorum uni paternorum, gratiam & pa- triam indulgit exulanti, aliisque veniam proceribus impertivit, licet in nova depræhensis conspiratione, ac simul Præfulum quibusdam, quam prodidit factionem Sophia, Erici, Langlandici vidua, & filia Valdemari quondam in Sueonia regis, cum suo initam prius marito; Jutiæ ta- men borealis agricolas, ob nimia rebelles gravamina, Ericus rex se- verè multavit.

Interea porro Duces Sueonum, celebratis Ludosiæ repotiis, ab in- vicem digrediuntur, Ericus quidem cum uxore anni reliquum transi- git Agnetorpii, astit Calmarniæ Valdemarus. Sed frater horum Birge- rus, Rex Sueciæ, Finlandorum propter insuetas rebellantium exactio- nes, componendæ invigilat seditioni, trucidatoque factiosorum antesi- gnano, Buggone, ipsam compefcit plebeculam, nimis tumultuantem. Hujus gratia seditionis opprimendæ, illas, ut existimo, mutuas accepit Birgerus à sororio, Danorum Rege, sub anni finem, DCL argenti li- bras. Hoc insuper temporis curriculo, Jorunderus, Halensium in Islan- dia Episcopus, morte vitam commutavit, & Modruvallensium illic cœ- nobium, cum suo velut commori desiderans fundatore, tum conflagravit.

Denique Clemens V, assensu Patrum in concilio præsentium Vien- nensi, pro Saracenorum expugnatione, sexennalem de omnibus per orbem Christianum Ecclesiasticorum proventibus, levandam statuit con- tributionem, ideoque postmodum in Scandia quoque cumulatam.

Anno MCCCXIV. Recruduit iterum cicatrix veteris discordiæ, inter Daniæ Regem, & Ducem Jutiæ, Ericum, qui Holsatorum fretus auxilio, provincias, urbesque sibi minus iuste ablatas, armis repetendas decrevit; Sed principum quorundam & procerum interventu, induciæ panguntur utrinque sesquiennales. Isto proinde Rex domi periculo liberatus, suo auxiliatur vasallo, Rugianorum domino, contra Sundenses illi rebellantes, spemque victoriæ in subsidio Brandenburgensium, ac Pomeranorum, collocantes; Quos tamen, mense Junio, Danus ad pristinam revocavit subjectionem. Postea domum reversus, de quibusdam suorum procerum proditoris suspectorum, vindictam hactenus prorogatam, statuit sumendam; Ideoque Viborgi ad XVI Julii diem, XVII illorum, velut fautores, promotores extorrium regicidarum, & authores crebræ rebellionis popularis, inque bello Suetico militaris, convicti, vitæ ac bonorum amissione plectendi censentur. Inde verò Koldingam Ericus digreditur, ubi mense Julio, Sueonum Duces hunc sororium convenientes, ab illo promissum impetrant super auxilio, sibi post Haquini obitum occupaturis Norvegiam, ferendo, velut regis generis, & proximis in throno successoribus; Ipsi autem ex arbitrio Henrici, Suerinensium comitis, Dano vicissim promptissima exhibituri essent obsequia. Illic similiter Dithmersorum primarii comparentes, regi Erico in quoslibet hostium, excepto Bremensium Antistite, subsidium pollicentur.

His Koldingæ transactis, Duces Sueciæ præfati, domum regressi, ditiones hactenus sibi communes, ex æquo bonoque diviserunt, Erico Vestrogothiam, Daliæ, Vermelandiam, Hallandiam & Smalandiam; Sed Valdemaro Uplandiam, Oelandiam, partemque Finlandiæ, capeffentibus. Valdemarus igitur rebus ita domi probè ordinatis, foras sibi prodeundum censuit, sacraque Romæ ac Hierosolymæ loca visitandum. Interim rex Birgerus, à Visbyensibus, & reliquis Gotlandiæ inhabitatoribus, majores solito postulans, & non impetrans, census, illos bello impetit. Verum à rebellibus profligatus, Ostrogothiam repetit, ubi propterea Sudercopiæ publicat comitia, in quibus Gotlandi gratiam adepti, spondent subjectionem, & consuetam tributorum pensionem, videlicet, CX argenti puri libras, & XC marcas denariorum quotannis in belli nervum; sicut & trientem ex metallifodinis, si quas in sua investigarent insula. In eodem præterea ordinum conventu, Suecus fratrum insidias formidans, aut ipsis quaspiam forsitan machinans, IX Octobris, primores & Senatores regni novo sibi fidelitatis obstrinxit, uxoriq; & liberis sacramento. Quo simul tempore florentissimum in Gotlandia emporium Visbyense, flammis devastabatur. Atqui Ducum sectatores primarii, & servitores, decretis nuper Sudercopiæ intellectis, suis non immerito capitibus submetuentes, mense præfato exeunte, protectorias Regis Danici literas obtinuerunt, quos inter fuerant, Mathias Ketelmundi, Gunno Griis, Arvidus & Laurentius Olai, & Birgerus Peterfonius à Finstad.

Cæterum modò Ecclesiastica hujus anni calamum sibi vendicant negotia. Nicolaus, Sueoniæ Archiepiscopus, in Synodo statuit Upsalensi, præter alia, ne porro exigenter decimæ à non solventibus ipsas ante sollennia Paschæ; Ast ut festo eodem Eucharistiæ perceptione, & mortui Ecclesiasticâ privarentur sepulturâ, nisi prius damno & contumaciæ satisfecissent. Verum Esgerus, Daniæ Archipræsul, convocato per mensem Septembrem Calenburgii concilio provinciali, clero regni constitutionum inculcavit observationem Ottoniensium, aliarumque à suis decessoribus, & Gregorio cardinale olim conditarum, insuper mandans

dans, XI mille virginum, memoriam, XXI Octobris die, quotannis impofterum ſolem- nem recolere. Idem quoque Antiftes, in concilio non ita pridem Viennenſi, de Upſa- lenſi victoriam nactus, à victo ſubjectionem, & expenſarum flagitat reſuſionem, illi- q e inſinuat execrationem, Viennæ in contumaces prolatam, ſignificatque fortaiſſis de memorata per ſexennium contributione; Quæ modò per Sueciam & Gothiam inſti- tuta, ex diœceſi ſolùm Upſalenſi, ad DCXXXIX marcas tranſcendit Stockholmenſes, indeque licet colligere, quanta ex reliquis fuerit ſumma denariorum, ac toto Sueciæ regno, tot annis congregata.

Anno MCCCXV. Cum Rex Ericus Danaborgum ſub Roſtochio adhuc obti- neret, nec illud ſolus poſſideret, XX Januarii, partem Brandenburgienſium, ſibi M. li-bris argenti comparavit. Deinde opitulaturus Rugiæ principi, contra rebellantes iterum Stralfundii negotiatores, auxilio Brandenburgienſium & Pomeranorum ſub- nixos, in hoſtes pangit fœdus cum Suecis, Norvegis, Polonis, Ungaris, Moſchis, Hol- ſatis, Megapolenſibus & Lunenburgienſibus. Uladislauſ quidem Polonorum Dux, XXVII Junii, Cracoviæ, ſuo & filiorum, nepotum in Ruſſia dominantium, ac Regis Ungarici, præfata ſubſcripſit confœderationi, præcipue adverſus Brandenburgienſium Marchio- nes; Non tamen inſicians ſe Suecis, Danis & Norvegis, in quoslibet hoſtium ex pa- cto ad ſubſidia obligatum. Hujusmodi proinde adverſarii fœderatione conſternati, bello aliquandiu ſuperfederunt, & tandem anno MCCCXVII, cum Dano, ipſiusque ſectatoribus, in gratiam redierunt.

Interea Nicolaus, Sueoniæ Archipreſul, XXX Maji, finem vivendi fortitus, Olam, ab inſigni vocatum eruditione, Sapientem, Eccleſiæ Canonicum Upſalenſis, ſucceſſorem Conſiſtorii ſuffragio conſequitur. Is autem ſententiâ Clementis V perterritus, miſſis Lundiam Daniæ oratoribus, Eſgerum agnoſcit primatem, & confirmationem, inaugu- rationem, abſolutionem à cenſuris, ſumptuumque reſundendorum poſcit condonati- onem; in omnibus tamen ſedis Apoſtolicæ, quæ pro tempore orba fuit Pontifice, ſalvâ voluntate, & autoritate.

Ericus porro, Danorum Rex, dum foras arma proferre meditatur, domi bello excipitur, quod Dux Slesvicenſium, Ericus, ditionum quarundam amiſſione clam ex- acerbatus, & diſcordiâ Regis cum Brandenburgienſibus ac Sundenſibus, oppidò animatus, illi moverat. Nec Ericus hoſtem domi præſtolatus, armis ducatum Jutiæ pervadit, Ducibus Sueonum Erico, & Valdemaro, qui nuper in patriam peregrè fuit reverſus, in auxilium vocatis. Verum his in Fioniam cum exercitu advètantibus, ad pacem di- ſcordia proceſſerat, Nyborgi XIV Decembris approbatam. Cauſa tamen litis anno ſe- quenti, ad XXIX Septembris, pluribus fuit diſcutienda; & interim Dux Slesvicenſium, opem Regi contra hoſtes eſſet laturus; Velut etiam Gerhardus, Hoſſatorum Comes, ex Ducis ſectatoribus non poſtremus, qui modò regiam ſimul gratiam obtinuiffet, Petrus Viborgenſium Epicoſopus, hujus quoque conſors rebellionis. Sed Andreas Högby & Ni- colaus Ranni, magnæ autoritatis, nobilitatisque viri, quod præterea mortem Regi eſ- ſent machinati, Ducis Chriſtopheri partes, fratri continuo inſidiantis, & proſcriptorum ſectati, mortis ſupplicio afficiebantur.

Hactenus verò Candidatus Upſalenſium, Oluſus, reſponſo admodum benigno Eſ- geri inſcatus, Lundiam ineunte bruma feſtinavit, ubi XX Novembris, à cenſuris Vien- næ prolatis, & à curis ſumptus compenſandi, per Lundenſem huic negotio impenſi, abſolutus, poſtridie capeſſit inaugurationem, tantam ſpondens Eſgero reverentiam & obedientiam, quantam ſui præſtitiffent anteceſſores, non majorem; Idque præſens, Vexionienſium Antiftes, Magnus, in teſtem rogatus, ſuis die ſequenti literis aſſeveravit. Atqui Oluſus, Sielandiæ Præſul, VI Decembris, primus Roſchildiæ cantoriatum inſtituit, huic ſubdens Stillingenſem & Vallechildenſem, parochias; velut etiam quicquid ſibi no- mine jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ex Veſter-Syſelia quotannis obveniret.

Anno MCCCXVI. Menſe Januario, Margareta, ſuperſtes Nicolai Verlenſis vidua, fratri Danorum Regi, ſua permiſit bona dotalitia, juſque filia in Roſtochium, alia viciffim bona recipiens in Blechingia, Lolandia & Jutiæ, ipſis, quoad viveret, fruitura. Poſtea Da- nus Stralfundenſibus & Brandenburgienſibus, bellum illaturus; nec fœderatorum agmi- ne contentus, Ericum, Saxoniam principem, Magdeburgienſium Præſulem, & potentio- res Marchiæ optimates, ad hanc ſimul militiæ pertraxit ſocietatem; Lubecenſes ad eandem & Roſtochenſes etiam pertracturus, novis ipſos negotiationum privilegiis, in Sconia, Falſterbogiaque, donavit. Quando autem Principes, Regis commilitones, ſe bel- lo accingunt, ſuborta inter illos rixa, in mutuam quosdam illorum pertraxerat eandem, Megapolenſes nimirum & Verlenſes. Quâ tandem ſedatâ, menſe Junio, conjunctis vi- ribus

ribus, Stralsundium terrâ marique obsederunt, ubi & Sueonum adfuerant copîæ auxiliâres. Sed post quadrimestrem urbis impugnationem, cum plus accepissent detrimenti, quàm intulissent, instante brumâ, domum quisque illorum dilabitur. Hostis autem longè animosior, Rugiam, velut belli matrem hujus, crudelius populatur; & horum instructus armis, Dux Christopherus, fratre deserto, Fioniam prius invaserat, & Suinsburgum occupaverat.

Interea temporis Ericus, Sueonum Princeps, Magnum ex Ingeburge filium consecutus, desiderio Norvegiæ obtinendæ, cœpit magis aestuare. A quo propterea Danus iterum super auxilio rogatus, id spondet ipsi, liberisque; sin verò sine his moreretur, idem promittit subsidium Valdemaro, ab illis vicissim contra quoslibet adjuvandus inimicos. At quàm inanis & fallax sit plerumque spes hominum, promissi hujus docuit evidenter eventus! Caterum præter memoratos belli tumultus, Scandia modò fame, ac peste horrendum fuit cruciata; fulgure, tonitruis ac imbribus, sanguine permixtis, ad stuporem pariter & horrorem usque molestata; rapidissimique Motalensium, atque Norcopensium in Ostrogothia torrentes, à naturali subsistentes cursu, unâ cum dictis prodigiis, illam Sueciæ præfagiebant calamitatem, quam infelix nimium Sueonia proximo sustinuit triennio.

Sed isto, priorique anno, Olaus Sueciæ Archiepiscopus, multis & crebris Ecclesiæ damnis à Rege, Ducibusque inflictis, permotus, opem implorat Johannis, XXIII nuper designati Pontificis; Ac simul pallium flagitat, & Judices, protectoresque Suecanæ Ecclesiæ propinquiores, cum Avennionem hinc in causâ qualibet, per expensas non liceret, discriminaque viarum, toties excurrere. Præfato etiam tempore gravis admodum discordia inter Regem Daniæ, libertates pessundantem Ecclesiasticas, & regni Archipræsulem fervet. Ac quamvis Antistes in curia Pontificia causam obtinuisset, adversarioque prægrandis argenti mûlta esset imposita; Nihilominus tamen octiduo secundum Pascha, Regi spondere cogitur, mûlctæ condonationem, eidem quina insuper librarum millia argenti soluturus, nec eo inconsulto in Hamarshusio Capitaneum deputaturus; Quæ summa profectò injuria, huic sementem præbuit litigio nimis diuturnam.

Anno MCCCXVII. Ericus Danorum Rex, Nyburgi III Januarii die, uxori suæ Ingeburgi, Lalandiam & Falstriam, pro XII millibus librarum argenti oppignoravit, Erico, Sueonum Principe, leviro præsentem, attestante, ac una literis subscribente. Illic etiam quadriduo post, Danus Comiti Magnipolensium, Henrico, pro servitiis, & damnis quæ in nuptura passus esset militia, satisfactorius, ipsi, liberisque tertio confirmat dominium Rostochiense, adjungens quidquid in reliqua possideret Slavonia ditionum, munitionumque, excepto Daneburgo. Hactenus porro legatus Archiepiscopi Upsalensis, Avennione sibi mandata urgens negotia, ibidem III Februarii, bullam Johannis XXIII obtinuit, quâ Elepho, Nidrosiensium Antistiti, Brynolpho Scarensem, & Carolo Arosiensium, Præsulibus, mandat Ecclesiæ Upsalensis conservationem; causarum discussionem, decisionemque, adversus cujuslibet personas conditionis.

Itaque ad memoratos Præsul Upsalensis, Assessoresque habituri refugium in necessitate Antistites, & ipsimet protectores, jus ferendi anathema in contumaces, beneficio appellationis privatos. Et propterea cum id muneris Lundensi, non fuerit commissum Archiflamini, cui tamen velut Sueciæ primati, competisset, arbitror ipsum modò primarius autoritate aliquantisper excidisse, ejusque litem cum Upsalensi, ad præfatorum tribunal judicum simul devolutam fuisse. Per unum præterea Cardinalium cleri revisa Suetici privilegia, quæ Magnus & Birgerus ipsi concessissent, suâ Johannes roboravit autoritate, pallium insuper Olao transmittens postulatum. Verum ante reditum in patriam legati, cum hujusmodi bulla Brynolphus, protectorum unus, Vestrogothiæ Præsul religiosissimus, mortis fuit abreptus violentiâ, VI Februarii, postquam Scarensi præfuisset Ecclesiæ, XXX annis, cum insigni sanctimoniam encomio, & postmodum ideo Divis solenniter adscriptus.

Proximo autem mense Rex Daniæ, filiam sororis, & Nicolai Verlenfis, Elizabetham, tritaviam Christierni I, in Scandia Regis, quem modernus Daniæ monarcha, agnoscit abavum, Christierno desponsavit Comiti Oldenburgensium. Sed feriis Pentecostes sacratissimis, Valdemarus, Brandenburgensium Marchio, pro se & fœderatis cum Rege transegit Danorum, veniam duci Christophero simul impetrans defectionis ac rebellionis, fœdusque in hostes cum Dano pangens.

Quos inter Esgerus, Daniæ Archimystra, censebatur suspectus conspiracy, cum Principe Slesvicensium, modo iterum tumultuante, clanculum susceptæ. Nec divina interim negligens Rex Ericus obsequia, Stolpensi in Livonia veniam indulget Abbati,

cœnobiū ordinis Cisterciensis in Padisio fundandi, quod etiam velut Revaliensi, subiectum Episcopo, prædiis ornavit.

Quando nunc Dania cum indigenis, alienigenisque pace sancitā, à bellorum respiratura videbatur tumultibus, Suecia iisdem, pro dolor, collotenus immergebatur. Etenim Rex Birgerus, tacitam meditans hætenus suæ vindictam captivitatis, & fratres exautorato milite, nihil formidare periculi animadvertens, ipsos amicissimè invitatos ad convivium, & XI Decembris, lautissimè tractatos Nycopiæ in multam usque noctem, ac demum in quodam soporatos conclavi, nec ullis servitorum stipatos, cum palatina invadit cohorte; captivat; injurias sibi quondam irrogatas, exprobrat; captis ipsemet & conjunx procacissima illudit, nudos propemodum in carcerem detrudit squalidissimum; verberibus immaniter contusorum pedes, colla & manus, compedibus, cippis atque nervis, crudelissimè constringit. Rex autem diluculo proceres, famulosque Ducum, in urbe per noctem fraudulentè hospitio susceptos, misso ex arce in illos milite, sopori deditos altissimo cædit, capit, & bonis exiit. Deinde tanto elatus successu, hunc sibi, uxori & aliis ejusdem sceleris suasoribus, authoribusque, summopere gratulatur; Non tamen indubiam Sueciæ ac Gothiæ, sibi pollicetur monarchiam, nisi Stocholmiā & Calmarniā primum occupatis. Atqui sub illam protinus cum armata manu adventanti, cives turmatim occurrentes, tyrannum inde profligarunt, qui aliquot stipatorum amissis, cum ignominia Nycopiam remeavit.

Ideoque furens fremens, & sibi magnopere timens, carcerem arctissimè obserat, & clavibus in profluentem abjectis, fratres per inediam morti destinat, illaque Dux Ericus XVII, & Dux Valdemarus XXII Decembris, obierunt. Quorum interitus diu conjuges & fautorum alios latuit. Ac interea illæ refugium Calmarniæ, & Scaræ captarunt; ubi cum sectatoribus, adhibito Regis Norvagici consilio, auxilioque, de maritorum liberatione consularunt. Harum quoque partibus regni favet plebecula, regiam execrans perfidiam, & Ducibus invigilans liberandis. Neque Danus hujus in Sueonia ignarus tragœdiæ, ut securus domi à tumultibus, foris in Suecia Birgero, & sorori commodus opitularetur, postremo anni exeuntis die, Nyburgi magis stabilem, perpetuamque cum Erico, Jutorum Principe australium, renovat concordiam & amicitiam.

Anno MCCCXVIII ineunte, Birgerus suæ diffidens causæ, ac Nycopiam ab adversariis propediem oppugnandam inaudiens, arce Christierno Scherbeck, Livoni, tyranno admodum truculento, demandatā, cum uxore, liberisque Stegeburgum profugit. Inde autem legatis quantocyus expeditis, Magnum revocat filium, & sororii subsidium implorat. Interea cingitur obsidione Nycopia, & prope mensis Februarii exitum, Magnus, perceptis ab avunculo DC equitibus, ex voluntate parentum, & ipsis adhaerentium in Suecia optimatum, Dano propterea Smalandiam, Visingiamque oppignoravit, & patriam versus cum obtento exercitu, festinavit. Adventanti Birgerus obviam procedens, indigenas conjungit alienigenis, & novā filii electione à fautoribus impetratā, in subsidium properat Nycopensibus.

Nec hostis adventus regii ignarus, Birgero non imparatus prope Lincopiam Ostrogothiæ occurrit, & ipsum trans nemus Holvegianum compellit regressum maturare. Postea in Vestrogothiam ille diverterat, ubi sub villa Carlebygeni plebs Regi frequentissima se opponens, ipsum profligare meditatur. Sed fallacibus delusa induciis fraudulentè nimium superatur; Siquidem tempore induciarum, Birgerus plebeculam inopinatus invadens, probrosam retulit victoriam, XX Martii, & cum illa in Ostrogothiam se denuò contulit. Ibi verò regium in urbibus dispersum exercitum, ducum bellatores aggressi, peregrinos in Daniam fugarunt, & Birgerus cum filio, & reliquis copiarum trepidus repetit Stegeburgum.

Huic proinde novum Danus auxilium laturus, regni sui ordinibus grandem nimis imponit contributionem, ne clero quidem parcens, licet nuper Pontifex Romanus, illud sub maledictionis incursione, vetuisset. Quibus Daniæ Archipræsul, & aliis commotus injuriis, ad Ducum in Sueciam profugit castra, simulque D. Christopherus, Hallandiæ princeps, fraternam quoque tyrannidem detestans, & Suecorum, Noricorumque auxilio, injurias vindicare machinans. Horum porro fugam Rex Ericus intelligens, Borenholmiam impugnat, & Hallandiam, capto Lagaholmio, Falchenbergoque, subitus expugnat. Christopherus vicissim infestat Sconiam, & Esgerus in hac, Daniaque reliqua, Ecclesiastico frustra belligerat gladio, clero suis literis factorum indicens silentium, per appellationem reluctanti.

Nec Ducum vindices suis in Sueonia partibus indormiunt, utpotè, inaudientes Magnum à parente cum præsidio Stegeburgi relictum, ipsum, arcemque, valido cingunt

gunt exercitu, & subsidium primo vere illuc à Birgero in Gotlandia delitescente, transmissum, in faucibus maris obvii prosternunt. Quam ille suorum cladem vindicaturus, & filium omninò liberaturus, post temporis paululum, longè validius obsessis submittit agmen; Pari tamen clade mulctatum, captis insuper ductoribus, Johanne Bruncon, Ulphone Sualabeck, Lydero Foss, & Valramo Schytte, præcipuis hujus tragœdiæ choragis.

Tantis itaque victoriis Ducum propugnatores confortati, supremo rerum moderatore, nunc opus esse animadvertunt, & propterea indicto Scaræ ordinum conventu, mense Junio, Mathiæ Ketelmundio, viro prudentissimo juxta ac fortissimo, habenas regni committunt moderandas. Qui protinus illud perlustrans, ad pristinam revocat conditionem, & Nycopenses suis ideo rebus desperantes, nec ullum à Birgero subsidium expectantes, ut hostem à castri oppugnatione paulisper averterent, ipsi mortem Ducum insinuant, funeraque horum foris exponunt in feretris, magnificè ornatis.

Ast obsidentes inde magis efferati, pro vindicando Principum suorum interitu, & Magno Erici filio, ad sceptrum regni promovendo, respondent se dimicatos; castri deditionem urgent, & suscepta ducum corpora, Stocholmiam cum honore ac mœrore deportant. Hinc præliarii suâ frustrati spe, nec aliquam à Rege opem præstolati, principio Julii, se, arcemque dedunt arbitrio victorum. Quâ solo adæquatâ, omne deinceps robur, ad Stegeburgi convertunt expugnationem. Nec diu sub ipso morati, antequam castri propugnatores armis, fameque compulsi, vitæ ac bonorum impetratâ securitate, Stegeburgum similiter prodiderint. Quod jussu Gubernatoris actutum subvertitur, & Dux Magnus sub vitæ sponsione, juramentis, literis & sigillis firmatâ, Stocholmiam custodiendus transmittitur.

Ita hoste domi prostrato, & regno Sueciæ occupato, foras gubernator statuit erumpendum, & vindictam à Danis vastatâ nuper patriæ sumendam. Quocirca illustri heros Mathias, Sueticis & Norvegicis agminibus stipatus, ac Christophero duce, Esgeroque, Daniæ Archiepiscopo comitatus, Augusto mense, hosticum versus properavit. Inprimis verò Falsterbogiâ illic potitus, Danos fudit obvios, & postea victor in Scaniam progressus, ipsam hostili devastat furore, ac demum sub Helsingburgo castra metatur. Danus autem externos & internos, Christopheri, Esgerique tacitos subverens fautores, Mathiam ad inducias secum pangendas provocat, quas difficulter impetrat, ad XI usque Novemb. diem, prorogandas, quando lis Roschildiæ omnis per arbitros esset decidenda. His proinde pactis cum Dano firmatis, victoriosum polemarcha Septembri mense, in Sueciam reducit exercitum, spoliis onustum non modicis, secum insuper CCC captivos, haud infimæ sortis homines, cum triumpho domum traducens.

Harum porro induciarum tempore, Rex Ericus, vires & animum, nervumque belli, collecturus, II Octobris, Helsingburgum cum Scania univèrsa, Ludovico Alberti, Marschalco Daniæ, pro VI millibus, & DCCC Scanorum marcis in pignus assignavit. Sed mense priori, Danus subveritus, ne Slesvicensium Dux, partibus hostium accederet, quod novis provocatus esset injuriis, lubricam denuò pacem cum illo renovavit.

Isto præterea tempore Moschus, ab Erico & Birgero Regibus, forsitan instigatus, truculenter admodum Finlandiam populatur, à quo inflammata simul Abogia, plurimum incendio defœdatur. Verum IV Aprilis die, metropolitana Norvegiæ basilica, fortuitis devastabatur flammis.

Prorex vero Sueoniæ, Mathias, post suum ex Scania reditum, publicatis Stocholmiæ comitiis, regni ordinibus ibi pacta manifestat Helsingburgica, & Sueonum consensu, XXXIV ordinat Commissarios, ac tandem unâ cum ipsis, & legatis Norvegiæ, condicto instante conventu, Roschildiam festinat. Ubi Sueones & Norvegi, prolixè inprimis cum Danis altercati, demum Brandenburgensi, Slesvicensi, Holfato, & Magnipolensi, principibus sequestris, in trimas consentiunt inducias, statuuntque hanc porro controversiam, Helsingburgi proximo XXIV Junii die ventilandam, & terminandam. Ast interim Birgerus, cum sectatoribus patria exularet, Gotlandiâ fruendo solâ, si Sueonum reliqui permitterent, & filius vita donatus, in custodia perseveraret, aliis utrinque captivis libertati ac patriæ restitutis, præter D. Christophorum, Esgerumque, Daniæ primatem, quibus nullum præterea subsidium à Suecis vel Norvegis in Danos conferendum esset.

Hac viduæ Ducum uxores transactione fuerant etiam contentæ, quæ ob fidelissimam hoc in negotio, aliisque, sæpè operam sibi navatam à prælustri viro, Birgero

ro Peterfonio , regni Confiliario , & Uplandorum Legifero , ampliffimum illi prædium , Agoe donarunt. Hujus autem magnifici viri filia , S. Birgitta , modò prænobili denupta adolescenti , Ulphoni Gudmario , poft biennium primam fuit enixa sobolem , & VII reliquas annis proximè fequentibus. Etenim VIII fufcepit ex Ulphone liberos , nempè , Birgerum , Carolum , Gudmarum , & Benedictum , ac totidem filias , fcilicet Meretam , Catharinam , Ceciliam , viris elocatas nobiliffimis , & Ingeburgem , cœnobii Rifebergensis fœntimonialem , prout copiofius & gloriofius , in meo Nobilitatis Suecanæ teatro , demonftratur.

Anno MCCCXIX. Sueones , XXI Martii , Commiffarios nominant IV , ad Helsingborgenfem abituros difceptationem , qui conditò ibi tempore comparentes , cum Danis , ceu minùs æqua poſcentibus , ſuper concordia utrinque ſtauenda , nequaquam poterant convenire. Interim verò domi Sueonum reliqui , menſe Junio congregati , Magnum , Erici ducis filium , quinquennem , concorditer in prato Morenâ regem ſalutarunt , & Birgerum hujusque filium , ob ſcelus in Ericum ac Valdemarum flagitioſe nimis commiſſum , regiâ jurisdictione privarunt. Sed Regis loco minorennis , mater Ingeburgis , & Mathias Ketelmundius , regni eſſent gubernaculum , donec adoleſceret , adminiſtraturi , conſilio identidem Sueticorum procerum adhibito.

Nec multo poſt tempore Haquinus , Norvegiæ monarcha , in ultima concedens fata , Magno ex filia nepoti , ſceptrum quoque Noricum tranſmiſit , lineamque ita clauſit Regum Norvagicorum vetuſtiſſimam maſculam , juxta ac glorioſiſſimam. De iſta porro Magni in utroque regno promotione , velut minus quoad Sueciam legitima , hoc queritur pacto apocalypſis Brigittina , divinitus inſpirata : *Dico tibi de duobus regnis , in uno eſt electio , in altero hereditas ; primum ubi eſt electio , deſtructum & afflictum eſt , quia verus non elegebatur heres , & hoc fecerunt partes eligentium , & cupiditas ambientis regnum. Et alibi : in hac electione quatuor indebitè obſervata fuerunt ; Inordinatus amor ; prudentia ſimulata , adulatio ſultorum , & diffidentia de Deo.*

Verum tempore induciarum , Ericus , Danorum rex , extorri patriâ ſuo Archipræfuli , Eſgero , Hammarhuſium Borenholmia erepturus , illud hætenus vehementer oppugnavit , & modò armis occupavit , caſtrum & inſulam poſſidere cupiens , donec ſumptus bello impenſi compenſarentur ; & propterea Lundene cogens præbyterium , ad ſubſcribendum ſuæ minus æquæ voluntati. Æquius autem longè Suecis & Norvegis dominans Ingeburgis , Erici ducis vidua , Ludofia XXVIII Julii , cum Mathia prorege , ac XI regnorum Confiliariis , ſuo roborat diplomate filii nomine , vetera clero Sueonum privilegia , quando à Norvegis , reor Magnum fuiſſe regem designatum.

Sed hujus amita Ingeburgis , etiam nuncupata , conſors Danici Regis , amiſſo per ſuam negligentiam infante , tantum concepit mœroris , ut præſule nequicquam diſſvadente Sielandorum , aſt marito conſentiente , monaſticen Roſchildiæ profiteretur ; ubi ſuæ & conjugis præſcia mortis , vitam chriſtianiſſimè , XV Auguſti terminavit , & corporis quietem Ringſtadii , in cœlo autem animæ , dubio procul , impetravit fœmina religioſiſſima.

Poſtea rex Ericus , tantæ conjugis amore ac dolore contabescens , in morbum incidit lethiferum , qui moribundus aſtantes regni hortatur conſiliarios , ut cum nullos relinqueret throni hæredes , ne ipſum Chriſtophero fratri , quod animi foret perfidioris , & vitæ diſſolutioris , ullatenùs conferrent , & tandem XIII Novembris , animam exhalans , juxta dilectam humatur uxorem. Tam funeſtum erat Scondia principibus præſens anni curriculum.

Atqui Chriſtopherus , obitu fratris intellecto , & admonitione ipſius neglecta , in Daniam poſtliminiò ex Sueonia remeat , ibi ordinum præſans ſuffragia , & ſibi aditum parans ad regiam facilius obtinendam illic dignitatem.

Nec Daniæ Archipræful , Eſgerus , Erici morte regis minus exhilaratus , ex Suecia illicò ad Romanum feſtinat Pontificem , de ſua queſtum proſcriptione , & Hammarhuſii amiſſione. Quo etiam tempore , primaria Sconia civitas Malmogia primùm fundatur.

Denique Sueones in colloquio ſe fruſtratos Helsingburgenſi ſpe ſuâ , magnoperè indignantes , nec ulli amplius transactioni confidentes ; velut quoque ſe metu regis Erici liberatos , & Norvegis arctius modò fœderatos , conſiderantes , Novembri menſe , in celebratis Stocholmiæ comitiis , Gotlandiam primo vere omninò invadere conſtituunt , ut inde Birgerum exturbent , vel captum inediâ enecent. Aſt cauſam filii annuo prorogandam ſpacio concludunt ; non verò Johannis Bruncovii , & complicum , quos morti adjudicatos , in monte ſuburbano , inde poſtmodum agnominato ,

rotis , palisque affixerunt.

* *
*

* *
*

* *
*